

APPARENTES SACRAE SCRIPTURAE CONTRADICTIONES  
A DOMINICO MACRO MELITENSI

Olim Cath. Viterb. Canonico Theol.

Sac: Indicis Congregationis Consultore, Proton: Apost: Eq: Aurato, Com. Palat.  
CONCILIATAE;

Atque ex eiusdem schedis hac tertia editione postuma ampliatae.

OPUS Contionatoribus, et Ecclesiasticis utilissimum.

ROMAE, Sumptibus PONTII BERNARDON, Via Parionis sub signo Virtutis M. DC. LXXVII.  
SUPERIORUM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

**Imprimatur, si videbitur Reu. P. Magistro S.P.A. I. de Ang. Archiep. Urbin. Vicesg.**

BENignis Reverendissimi D.P. Raymundi Capisucci S.P.A. M. iussibus obsequens, vidi, atque consideravi Contradictiones Apparentes Sac. Scripturae a sacris Scriptoribus conciliatas, atque collectas, Et ampliatas a R. P. Dominico Macro Melitensi, easque comperi dignissimas impressione, ego Franciscus Ptolemaeus Patric. Senensis in Almae Urbis Archigymnasio primarius de mane Iuris Civilis interpres 3. Id. Iun. A. D. M. DC. LXXVII.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Praed. S.P. Apost. Magister.

**ORNATISSIMO, AC ERUDITISSIMO VIRO D. LUDOVICO THOMASINO DOMINO DE MAZAUGVES; ET DE ESPIN Consiliario Christianissimi Regis in Parlamento Regio Aquensi.**

IN eruditi huius saeculi, quo cultiores in tota Europa Academiae optimorum studiorum laude florescunt, amplissimo Theatro Ornatissime Domine quantum, spectandus omnibus sapientissimum caput erigas, dicant, qui scientiarum omnium in Te uno Encyclope diam norunt universam: Et quis ignorat, Te in humanarum cognitione artium, asperimarumque disciplinarum pleno possessu non quiescentem, sed ulterius supra humani ingenii captum solidiora penetrantem de penitissimis Sacrae Doctrinae, divinarumque rerum fontibus hausisse potiones usque eo meracissimas, ut ipsam excites invidiam? Ego sane Nobilissime Vir Tibi tantis devinctus nominibus, sicuti studiosissima quotidie recordatione recolo commemoratam, ac eximiam Tuam in me liberalitatem, qua me Tibi totum addixisti, sic perennis meritorum erga me Tuorum memoria, cuius characterem nulla unquam delebit oblivio, repetens ea, quae ex Typographicis meis curis Tibi meum gratum animum ostendere valerent, tributarias exilitates meas in hac opella tibi deferre constitui. Apparentes hic a Dominico Macro Eruditissimo Viro Sacrarum paginarum conciliantur repugnantiae: Tu pariter Generosissime Domine, tantum imitatus Auctorem, audaciam hanc meam cum Tua maxima benignitate concilia; ac ne in hoc munere leve pondus attendas, sed magnum offerentis animum, aut potius Scriptoris, scriptionisque dignitatem maximam supplex oro, atque obtestor, qui Tuae sum Generositati.

Perpetuo Mancipatus obsequio

PONTIUS BERNARDON.

**BENEVOLO LECTORI.**

APPARENTES Sacrorum voluminum Antilogias, seu repugnantias ex eruditissimis praesertim P. Iacobi Tirini Commentariis, qui diserte, et ex Sanctorum Patrum placitis universos tam veteris, quam novi Testamenti Codices exposuit, et ex aliis praererea scriptoribus privato studio, propriaeque consulens utilitati adnotare curaveram. Constitutus enim Romae fuit conventus doctissimorum virorum a Sanctissimo Pontifice Urbano VIII. qui Biblia recognosceret Arabica, ut ea postmodum ad Orientalium Christianorum institutionem imprimerentur. Tanto quippe studio propagandae religionis Summus ille Orbis terrarum Antistes incensus erat. Nam Arabica lingua non solum Africae populis est communior; verum etiam Persis, Turcis, Tartars, ac Mahometanae superstitionis sectatoribus universis Sacra. Fructuosissimus igitur, ac saluberrimus hic existimatus esi labor: sollertia praesertim, ac singulari prudemia Em. Card Pallottae, qui maxima assiduitate, ac incenso studio nosirae Congreg praeerat. Ego igitur inter huius coetus Patres adlectus ammadvertebam in singulis fere congressibus difficultates sane permagnas ex Sacrae Scripturae locis in speciem repugnantibus emergere, qui addubitare plurimum, et haerere nos cogerent. Pernecessarium igitur hunc ego laborem suscepi, et quantum mihi per facultatem licuit exantlavi, ut hoc fructu privatim ipse perfruerer. Sed parendum coetus Sodalibus, et Collegis fuit, qui me ad eum publicandum, et cum aliis communicandum nondum plane maturum, ac perfectum impulerunt. Quamquam multa equidem studio, ac de industria praetermisi. Per multos enim locos intactos volui, quia eos conciliare

supervacaneum, et optimis ingeniis iniurium videbatur. Nonnulla tamen paradoxa, quae prima fatie absurda, et veritati contraria videbantur accesserunt. Fruere itaque lector amico labore, meque Deo, caelitibusque commendatum plurimum velis, ac Vale.

## CONTRADICTIONES APPARENTES. EX LIBRO GENESIS.

Cap. 1. v. 27. [Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculinum, et feminam creavit eos.] cum uterque tam vir, quam mulier fuerint creati ad imaginem Dei, cur igitur Apostolus scribit ad Corinthios. epist. 1. cap. 11. v. 7. [Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, et gloria Dei est; mulier autem gloria viri est.] Quibus verbis videtur innuere mulierem non esse imaginem Dei-Soluit hanc quaestionem S. Thom. 1. par. quaest. 93. art. 4. ad 1. ubi ait tam in viro, quam in muliere inveniri imaginem divinam, secundum id, quod importat ratio imaginis principaliter, idest, quo ad naturam intellectualem. In viro autem invenitur aliquid aliud, quod importat ratio imaginis secundario, quia vir est principium, et finis mulieris; sicut Deus est principium totius creaturae; et de hac secunda imagine loquitur S. Paulus. Aliter soluit eandem difficultatem Abraham Ecchellensis vir profundae eruditionis in Historia Arabum cap. 14 nam mulier non est imago Dei immediata, quia condita fuit ad imaginem viri sui.

Ibid. v. 28. [Crescite, et multiplicamini.] Hoc contradicit textui novi Testamenti Matth. 19. [Non expedit nubere.] Aliisque consiliis novae legis multis in locis commemoratis, quos irri dent Hebraeorum Rabbini, ac reprehendunt christianum caelibatum. Resp. Istud non fuisse praecipuum, sed tantum simplicem benedictionem; de hac controversia disputat fuse Bellar. tom 4. de gratia, et colligitur manifeste ex verbis antecedentibus. [Benedixit illis Deus.] Et confirmatur ex eo, quod eadem verba dixerit Deus piscibus, ac avibus, in quibus non potest esse praecipuum. Hac igitur benedictione communicavit Deus virtutem illis procreandi sibi simile. De Christianorum caelibatu prophetavit Isaias. [Quia haec dicit Dominus Eunuchis. Qui custodierint sabbata mea, et elegerint, quae ego volui, et tenuerint foedus meum. Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum, et nomen melius a filiis, et filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. cap. 56.] utique loquitur cum illis, qui se castraverunt propter regnum caelorum.

Cap. 4. v. 26. [Quem vocavit Enos, iste coepit invocare nomen Domini] Quomodo coepit iste invocare Deum; si prius Cain, et Abel obtulerant Deo sacrificia, invocantes quidem nomen eius, ut habetur supra. v. 3. R. Cain, et Abel cognoverunt Deum, illique munera obtulerunt; sed non invocantur eum precibus: ita R. Salomon. quem sequitur R. Isaac Abravanel. Melius tamen conciliantur haec loca, si dicamus Adam, Cain, et Abel cognovisse quidem Deum sed Euos coepit tamquam sapiens docere alios Dei notitiam. Unde lectio hebraea habet: [Tunc coepit esse invocari nomen Dom.] idest, publice, ut explicat R. Manasses Ben Israe-l in suo Co~ ciliatore.

Cap. 5. v. 26. [Mathusala postquam genuit Lamech, vixit septingentis octoginta duobus annis.] Quod si verum esset sequeretur Mathusala vixisse usque ad finem diluvii nempe anno a creatione mundi 1656. et tamen nulla fit mentio ipsum ingressum fuisse arcam. Pro solutione huius difficultatis supponendum est falsam fuisse sententiam aliquorum, qui censuerunt hos annos, quorum saepe meminit Scriptura non fuisse integros si enim hoc pro libitu dicere licitum esset in prima mundi aetate, certe idem in sequentibus aetatibus asserere licebit, atque ita incertae essent omnes Chronologiae Respon. deo igitur verum quidem est a nato Lamech usque ad diluvium praecise numerandos esse annos 782. tot quoque fuisse usque ad obitum Mathusala. Cum ergo constet ipsum non ingressum esse arcam, dicendum est ultimum aetatis suae annum non fuisse completum, sed inchoitum. Aiunt enim Hebraei, et praecipue R. Salomon, Mathusala septem diebus ante initium diluvii e vita excessisse, quod colligitur Rabbini ex illis verbis Gen. 7. v. 10. [Cumque colliguit septem dies.] Hoc enim spatium concessit Deus ad celebrandas exsequias, et luctum super Mathusala. Ita fatetur R. Nehenias in Rabot. cap. 32 se didicisse a R. Iuda. Non vixit ergo Mathusala post diluvium, quia tam ex vulgata, quam ex Iosepho colligitur manifeste, quo anno accidit diluvium Mathusalem diem obiisse: nam, si anno 187. vitae suae genuit Lamech, ut habent etiam LXX. relinquitur spatium vitae

Mathusalem annorum 782. ex quibus, si demas annos 182. Lamech ante genitum Noem, et ipsius vitae Noe 600. quando ingressus est in arcam, efficiuntur anni 782. quos vixit Mathusalem post ortum Lamech. Quin etiam si Hieronymum sequi volumus in eo, in quo cum LXX. convenit, ante diluvium anno sexto mortuum Mathusalem confiteri cogemur. Nam ubi vulgata editio habet. [Vixit autem Lamech 183. annis.] LXX. habent 188. quibus si addantur anni 600. vitae Noe ante diluvium; tota summa erit 788. annorum. Post ortum autem Lamech superstes fuit Mathusalem annis 782. Ergo sexennio ante diluvium vita excesserat.

Cap. 6. v. 3. [Et tuncque dies illius (scilicet hominis) centum viginti annorum.] Hic textus non concordat cum eo, quod narratur cap. 11. Genes. infra, ubi Sacra Scripturas aliquos commemorat, quo post diluvium hunc annorum numerum excesserunt. Respondeo Deus non statuit singulis hominibus hunc annorum numerum, ut volunt Ioseph. Lactant. et Procop. apud Sallianum, quia de facto multi, ut diximus, diutius supetuerunt: sed toti generi humano hoc annorum tempus praescripsit ad agenda paenitentiam ante adventum diluvii, et sic tamquam in duties hoc spatium indulisit.

Cap. 7. v. 11. [Anno sexcentesimo vitae Noe mense secundo septimodecimo die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi etc.] coepit igitur diluvium mense secundo delapsis imbribus per dies quadraginta, quibus, si adicias centum quinquaginta dies, quibus duraverunt aquae super terram, omnes conficiunt dies centum nonaginta, nimirum, sex menses. Quomodo igitur cap. 8. v. 4. contrarium asseritur his verbis: [Requievitque arca mense septimo vigesimo primo die mensis super montes Armeniae.] nam, si bene computantur menses, deberet esse octavus. Respondet R. Elihezer mensem septimum non esse computandum ab anni principio; sed a die, quo cessaverunt pluviae. Sed melius R. Gerundensis ait illos quadraginta dies contineri in aliis centum quinquaginta, qui conficiunt menses quinque; et sic verum erit, quod arca re quieverit mense septimo numerando ab anni principio.

Cap. 15. v. 16. [Generatione autem quarta revertentur huc.] Isti promissioni divinae factae Abrahamo contradicit veritas historiae, quia quinta generatione reversum est semen Abraham in terram promissionis. Resp. generationes in hoc capite numerandas esse a tempore, quo Israel fuit in captivitate; nam Iudas fuit primus, deinde Phares, tertio Hesron, quarto Caleb, qui ingressus est terram promissionis. ita R. Salomon, et R. Isaac Abravanel.

Cap. 22. v. 5. [Dixitque ad pueros suos exspectate hic cum Asino, ego, et puer illuc usque prope rantes postquam adoraverimus revertemur ad vos.] Hic textus contradicit verbis supra allatis ver. 2. ubi clare dicitur Isaac immolandum, quomodo igitur ambo erant reversuri. Respondeo ex mente S. Pauli ab Hebr. 11. Abraham sibi persuadebat Isaac a mortuis revocandum esse a Deo, vel certe non permissum Deum Isaac immolari. [Arbitrans, quia et a mortuis suscitare potens est Deus.] Sciebat enim non posse decipi ab eo, qui promiserat ex Isaac nasciturum Messiam, unde certus erat se reversurum cum filio ad servos.

Cap. 25. v. 6. [Filiis autem concubinarum largitus est munera, et separavit eos ab Isaac filio suo.] Concubinarum nomine intelliguntur Cetura, et Agar, quae tamen aliis in locis vocantur uxores, ita vocatur Cetura hoc eodem capite v. 1. et Agar cap. 16. v. 13. infra, si ergo erant uxores cur appellantur concubinae. Respondeo verae, ac legitimae uxores eeran, quia tamen ignobiliores, ac servae, vocantur coneubinae, quasi concubantes, quarum filii non habebant ius ad paternam hereditatem, sed primaria uxor erat Domina, cuiusque filiis integra debebatur hereditas, ceteris vero dona pro Patris arbitrio debantur. FR. V. Concubina in Herol.

Cap. 32. v. 24. [Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane.] Hic tamen vir vocatur Angelus. Osee cap. 12. imo infra v. 28. Dei nomen sibi usurpat, dicens: [Quoniam sicontra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praevaleris.] Respondeo, vere fuit Angelus; dicitur nihilominus Iacob fortis contra Deum,

eo quod Angelus ille repraesentabat personam Dei. Vocatur autem vir, quia eam formam visibilem assumpserat.

Ibidem v. 30. [Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.] Sunt verba Iacob, quibus manifeste contradicit alii textus; nam Moysi dixit Deus Exod. 33. v. 20. [Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, et vivet.] et in Euangelio Ioan. 1. v. 18. [Deum nemo vidit unquam.] Theologi passim agunt de praesenti difficultate, an scilicet viator possit videre divinam essentiam: sed omissis Theologorum quaestionibus. Respondeo cum S. Eucherio Iacob non vidisse essentiam dei; sed speciem aliquam visibilis creaturae, quae humanis poterat apparere conspectibus subiecta Divinae potestati, ac Deum ipsum repraesentans, imo Rabbinii intelligunt praedicta verba de Angelo luctante, qui vocatur Eloim in textu Hebr.

Cap. 34. v. 30. [Iacob dixit ad Simeonem, et Levi. Turbastis me, et odiosum fecistis me.] Quibus verbis Iacob repaehendit hos duos filios iniustae vindictae contra sororis raptores, in qua vindicta graviter deliquerunt multiplice ex capite, primo imprudentiae; inscio enim Patre hoc patratunt. Secundo iniustitiae, moventes bellum auctoritate privata non consulto Patrefamilias, apud quem erat ius vindictae. Tertio proditiosis; ulciscuntur enim iniuriam iam condonatem. Quarto sacrilegii; nam dolose abutuntur circumcissione. Quinto crudelitatis, quia graviter laesos, et afflictos ex recenti vulnere occiderunt. Sexto oppressionis innocentum, non enim solum raptorem; sed omnes masculos iugularunt. Ideo Iacob moriens maledixit his filiis. Gen. 49. v. 5. [Simeon, et Levi fratres vasa iniquitatis bellantia] his non obstantibus in Iudith. 9. v. 2. commendatur haec actio his ver bis. [Deus Patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenatum: qui violatores exstiterunt in coinquinatione sua, et denudaverunt femur virginis in confusionem, et dedisti mulieres illorum in praedam, et filias illorum in captivitatem; et omnem praedam in divisionem seruis tuis, qui zelaverunt zelum tuum.] Respondeo Deus in hoc casu se gessit sicut cum Nebuchodonosore, cui praeceperat Tyri expugnationem; item dat opes, ac vires Tyrannis ad puniendos rebelles, qui iustam vindictam promeriti fuerant, licet ille actus, quo utuntur Tyranni ad exsequendam divinam voluntatem displiceat ipsi Deo. Sic in praesenti casu. Volebat Deus ulcisci probrosum raptum Dinae, usus est zelo Simeonis, et Leni, qui zelo pudicitiae ad ultionem movebantur, ex quo capite digni erant praemio, et laude. At quia zelus iste fuit imprudens, iniustus, crudelis, ac virtutum limites excedens gravissime peccarunt, et secundum hanc considerationem non seruerunt divinae voluntati. Simili etiam modo obstetrices Aegyptiae, quae mendacio tutate sunt puerorum Hebraeorum vitam, benedictionem meruerunt a Deo non propter mendacium, sed propter pium affectum, et beneficium Hebraeis praestitum. Nam potest in una eademque actione aliquid esse boni, et praemio digni, et aliquid mali, quod oderit, ac puniat Deus.

Cap. 35. v. 10. [Non vocaberis ultra Iacob, sed Israel erit nomen tuum.] et tamen eodem capite vocatur Iacob. nam v. 26. [Hi sunt Filii Iacob.] Resp. Verba Angeli intelligenda esse hoc modo, nimitum, Praecipuum nomen in posterum erit Israel; non tamen auferetur penitus nomen Iacob: sed erit accessorium. Ita Rabini communiter.

Cap. 37. v. 10. [Num ego, et matur tua, et fratres tui adorabimus te super terram.] Quomodo hoc dicere poterat Iacob si Rachel Mater Iosephi iam obierat, ut dicitur cap. 35. v. 19. supra? Respondeo non loquitur de Rachele iam mortua; sed de eius ancilla nomina Bela, quae nutrix fuerat Iosephi, ac in matris locum suc cesserat, ita Lyran. et Tostat. saepe enim in sacris litteris reperies tales mulieres vocari matres, ut erudite notavit R. Manasses Ben Israel lib. 1. de Resurrect. cap. 1. vel hoc dixit prudens Pater, ut ostendetet esse impossibilem, et sic mederetur fratrum livori: ita R. Salomon.

Cap. 40. v. 19. [Auferet Pharaon caput tuum.] Hoc videtur contradicere verbis sequentibus: [Suspendet te in Cruce.] Et de facto non fuit illi praecisum caput. Respondeo est locutio hebraica, in qua saepe sumitur caput pro ipso homine: unde significat Pharaon auferet te de numero viventium.

Cap. 41. v. 16. [Absque me Deus respondebit prospera Pharaom.] Sunt verba Iosephi, qui tamen ipsemet postea prolixè

respondit Pharaoni explicans ei somnium. Respondeo, est Hebraismus Absque me, idest, non ego ex mea sapientia; sed Deus per me tamquam per instrumentum respondebit. et somnium explicabit. Confirmatur ex Textu Graeco: \*a)neu teu= qeou= eu)k a)poriqh/setai to\ swth/rion faraw=. Nimirum: [Absque Deo non respondebitur salutare Pharaoni.

Cap. 46. v. 7. [Venitque in Aegyptum cum omnisemine suo, filii eius, et nepotes, filiae, et cuncta fimul progenies.] Hic fit mentio filiarum Iacob, qui tamen praeter unam Dinam nullas habuit filias, ut habetur infra ver. 15. Respondeo ex Rabinorum traditionibus in Ialcut. In unoquoque partu, quo editus est aliquis ex duodecim Patriarchis simul nata est filia, quae omnes postea fratribus nupferunt, ne Patriarchae miscerentur gentibus; ita ut filii Liae duxerint gemellas aliorum fratrum, et alii rursus gemellas harum. Unius autem Dinae fit mentio, quia in hoc partu non sunt nati gemini. Neque mirari convenit, quod reliquas forores scriptura reticeat; nam etiam omittit filias Adami, quae Caino, et Abelnupserunt. ita R. Iehuda Bar Isai, qui confirmat suam sententiam ex scriptura huius capituli. v. 26. [Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Iacob in Aegyptum, et egressae sunt de femore illius, absque uxoris siliorum eius.] Ergo uxores filiorum ex eodem femore provenetunt, alioquin superflua viderentur haec ultimal verba.

Ibidem. v. 26. [Cunctae animae, quae ingressae sunt cum Iacob in Aegyptum, et egressae sunt de femore illius absque uxoris filiorum eius, sexaginta sex.] Cui t extui repugnat Versus sequens 27. ubi septuaginta numerantur. Insuper Act. 7. v. 14. S. Stephanus numerat septuaginta quinque: [Et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque.] Respondeo in primo computo non comprehenduntur Iacob, et Ioseph, ac eius duo filii Ephraim, et Manasses, qui fi addantur conficiunt numerum septuagenarium. R. Levi refert se accepisse a R. Samuel matrem Moysis numerari in isto computo quia concepta quidem fuit in terra Chanaam; sed nata in Aegypto, quod colligit ex cap. 18. Num. In Actis vero Apostolorum S. Stephanus numeravit etiam quinque nepotes Iosephi, nimirum Machir filium Manasses, et Galaad filium Machir, item Suthala, et Thaan filios Ephraim, et Edom filium Suthala, qui omnes in Aegypto nati erant, ut patet ex Num. cap. 26. et ex 1. Paral. 7. vel S. Stephanus addidit Iacob cum quatuor uxoris, quas non numetavit textus Genesis.

Cap. 48. v. 22. [Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio, et arcu meo.] Contradicunt duo alii textus; nam Genes. 33. v. 19. et Iosue ult. v. 33. asserunt manifeste hunc agrum emptum fuisse a Iacob pretio centum agnorum. Respondeo Iacob vere emerat hunc agrum, at dein metu compulsus ob stragem Sichimis illatam a duobus filiis suis agro excesserat, quem invaserunt Amorthaei, quos postea Iacob rediens vi, et armis expulit. ita Per. et Cor. a lapide.

Cap. 49. v. 7. [Dividam eos in Iacob, et dispergam eos in, Israel] Ista est maledictio data Simeoni, et Levi; at quomodo dispersi sunt si proprias sedes obtinuit cum aliis fratribus Simeon, ut patet ex cap. 19. Iosue v. 1. ubi dicitur. [Et egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas, fuitque hereditas.] Ergo filii Simeon non fuerunt dispersi. sicut filii Levi, quibus non fuit assignata certa terrae pars. Respondeo, solutio pendet ex verbis eiu sdem capituli 19. v. 9. [In possessione, et funiculo filiorum Iuda, quia maior erat, et idcirco filii Simeon possiderunt in medio hereditatis eorum.] Iudaicae enim Tribui, quae prima erat, plus spatii contigerat errore Geometricorum, qui error correctus fuit iussu Principum; tunc filii Simeon prima possessione privati, et inter possessionem filiorum INda excepti in alterius Tribus terminis habitantur: Ita Abulen. Insuper cum postea crevisset Tribus Simeonis novas sedes, et possessiones sibi quaesivit, ut habetur Par. 4. Denique Scribae, ac Legisperiti erant ex ista Tribu oriundi, qui per omnes Tribus dispersi sunt, ut populum in lege instruerent, ita Cornel. a Lapide, et R. Salomon.

## EX LIBRO EXODI.

Cap. 7. v. 17. [Ecce percutiam virga, quae in manu mea est aquam fluminis, et vertetur in sanguinem.] Et tamen v. 19. eiusdem capituli Aron percussit aquas, et non Moyses. [Dic ad Aron tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas.] Respondeo Moysi praeceptum, fuit, ut Nilum percuteret; Aroni vero, ut reliquos amnes, et rivus percuteret, ita Isaaq Abravanel,

qui ex ipsis verbis scripturae satis congrue colligit hanc conciliationem.

Cap. 9. v. 6. [Mortuaque sunt omnia animalia Aegyptiorum.] Hoc non videtur concordare cum eo, quod narratur eodem capite v. 9. [Erunt enim in hominibus, et iumentis ulcera] et v. 19. invenitur alia contradictio. [Congrega iumenta tua] Si omne animal mortuum fuerat, quomodo super iumenta immisit Deus vulcera, et postea grandines. Respondeo, animalia solum in agris mortua sunt in priori plaga, ita R-Salamon, et R. Isaac Abravanel, qui probant hanc expositionem ex verbis eiusdem capitis v. 3. quibus denuntiatur Pharaoni plaga. [Ecce manus mea erit super agros tuos.] Dicere etiam licebit externos mercatores armenta asportasse in Aegyptum, ac vendidisse.

Cap. 12. v. 2. [Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni.] Iste Mensis erat Nisan, qui Martio correspondet; contra vero legimus cap. 23. v. 16. [Sollemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.] Iste vero mensis erat Thistin, qui nostro Septembri correspondet. Dubium igitur oritur, quomodo nunc assignatur Martius, nunc September pro anni capite. Respondeo Mensis Nisan erat principium anni Sacri, secundum quem Neomeniae festa, ac reliqua omnia Sacra totius anni componi debebant, ac secundum supputationem Regum Israel. September vero erat principium anni civilis apud Hebraeos etiam ante Dei praeceptum, et iuxta calculum huius anni civilis omnia negotia politica, et contractus dirigebantur. Imo annus Sabbaticus, et Iubilaei etiam si sacri essent, quia tamen multos contractus civiles venditionis, locationis, mutui, et alios similes continebant, a Mense Septembri inchoabantur, utasserunt Iosephus, Philo, et alii Rabbini, et sane si a vere inchoarentur isti anni, cum abstinendum tunc esset ab omni satione, et messe, duobus annis continuis sua messe caruissent Hebraei; nam inchoato anno Sabbatico a Martio messis in agro relinquenda esset; proximo quoque autumno abstinendum erat a satione, atque ita sequenti quoque anno nulla fuisset messis. At incipiendo ab autumno una tantum messis peribat, nunquam duae, nisi annus Sabbaticus anno Iubilaei immediate iungeretur. Tunc autem Deus consulebat populo ivisitata anni praecedentis fertilitate.

Cap. 12. v. 40. [Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto fuit quadringentorum triginta annorum.] Certum tamen est. filios Israel non mansisse tanto tempore in Aegypto: Nec potest sumi tempus hoc a peregrinatione Abrahami in Aegypto, et Cananite. Obstat enim Text. Gen. 15. ubi Deus promittit Abrahamo posteros eius peregrinos fore annos 400. Respondeo igitur ab illa praedicatione usque ad ablactatum Isaac, fluxisse annos triginta, et inde ad agressum filiorum Israel ab Aegypto annos 400. qui simul conficiunt annos 430. Confirmatur testimonio S. Pauli ad Gal. 3. v. 17. ubi ait legem post tertium mensem ab egressu filiorum Israel datam a Deo, fuisse promulgatam annis 430. post promissionem Abrahae factam.

Cap. 12. v. 42. [Nox ista est observabilia Domini, quando eduxit eos de terra Aegypti.] Eodem veto capite v. 51. [Et eadem die eduxit Dominus filios Israel] de terra Aegypti.] Et Deu. 16. v. 6. [Immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quando egressus es ex Aegypto.] Ad concordandas has diversas scripturas, supponendum est in sacris paginis verba non sumi in actu perfecto; sed in fieri, vel actu continuato, vel solum inchoato. Unde quando dicuntur Israelitae egressi vespere, loquitur textus de principio egressionis cum immolarunt, ac comederunt agnum, suaque convasarunt; noctu vero caesis Aegyptiorum grimogenitis acceperunt a Pharaone veniam imo mandatum exeundi, et itineri se accinxerunt. Mane denique re ipsa egressi sunt.

Cap. 13. v. 6. [Septem diebus vesceris azymis.] Hoc praeceptum alibi repetit Dominus, cui tamen obstat cap. 16. Deut. v. 8. [Sex diebus comedes azyma] Sed facilis est conciliatio horum textuum, nam hic in Deuteronomio praescribitur Israelitis celebratio Paschae Hierosolymis tantum facienda, et non alibi. Secundo vero die unusquisque poterat reverti in domum suam. Non igitur in his sex diebus comprehenditur dies azymorum; sed sex sequentes post discessum, ut clare colligitur ex verbis capitis, et notavit R. Isaac Abravanel.

Cap. 14. v. 20. [Stetit inter castra Aegyptiorum, et castra Ifraeb et erat nubes tenebrosa.] Statim vero additur: [Et illuminans noctem.] Quae propositiones sunt omnino oppositae. Respondeo, Nubes haec posita inter Hebraeos, et Aegyptios insequentes ex ea parte, quae respiciebat Aegyptios erat densior; atque ideo tenebrosa, impediens accessum ad Hebraeos, versus quos erat lucida radios emittens usque ad primam Hebraeorum aciem, ita Tost. et Perer.

Cap. 16. v. 31. [Gustusque eius quasi similiae cum melle.] Loquitur sacer textus de mannae saporis re, cui contradicit cap. 11. Num. v. 8. [Et faciens ex eo tortulas saporis panis oleati.] Aliqui respondent saporem mannae fuisse immutatum fractione moae, et coctione, ut clare patet ex verbis ipsius textus, ita sensere quamplurimi Rabbini. Possum etiam addere id, quod legitur in libro Midras, nempe, Viri iusti comedebant manna quale caelitus demissum fuerat, alii vero gulae dediti vertebant manna in placentas, quae non continebant mellis dulecinem, sed olei saporem.

Cap. 20. n. 5. [Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, et quartam generationem.] Contrarium asseritur ab Ezechiele cap. 18. v. 20. [Filius non portabit iniquitatem patris] respondeo, primus locus intelligendus est conditionate, nimirum, si filii imitentur peccata Patrum, ita Hieron in Ezech. 18. Aug. in quaest. veteris, ac novi testamenti cap. 14. Greg. 15. Mor. cap. 22. Chrys. in Psalm. 48. Theod. que. 40. in Exod. S. Thom. 1. 2. quaest. 87. ar. 8. eandem expositionem sequuntur multi Rabbini, quorum aliqui addunt, quod in hoc capite Propheta prohibet in humana iudicio punitionem filiorum ob parentum delicta; at Deus, qui novit abscondita cordis, aliquando castigat filium aemulum paternae pravitatis; ita R. David Kimchi.

Cap. 25. v. 15. [Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis] loquitur textus de vectibus, qui semper erant anulis affixi, nec unquam amovebantur; et tamen contrarium asserit cap. 4. Num. v. 6. [Extendentque desuper pallium totum hyacinthinum, et inducent vectes.] Igitur Levitae quando sublevabant arcam apponebant de novo vectes. Respondeo, Levitae inducebant vectes, id est, aptabant illos pro libitu, ita tamen, ut non eximerent eos ab anulis, ut explicat R. Moyses Gerundensis, cui assentitur R. Isaac Abravanel. Alii vero asserunt fuisse quatuor vectes in arca, quorum duo semper inserti manebant anulis, duo vero supponebantur a Levitis, quando arca tollenda erat. Alii denique Rabbini aiunt vectes sublatis ad aptandum pallium, et coopetendam totam aream, quod non erat prohibitum.

Cap. 33. V. 11. [Minister eius Iosue filius Nun puer non recedebat de tabernaculo.] Et tamen ut colligitur ex cap. 17. Exodi v. 9. Iosue iam tunc agebat annum 53. eratque magister militiae, quomodo ergo erat puer. Respondeo puer significat iuvenem: iuventutem enim ad 45. annum producit Varto, et ad 46. Seruius Tullius, praecipue tunc temporis, quod hominis vita productior erat. Vel puer significat caelibem, quia, ut probat Serarius, Iosue numquam matrimonii vinculis fuit irretitus.

Cap. 34. V. 15. [Meinca pactum cum hominibus illarum regionum.] Dein v. 16. [Nec uxorem de filiabus eorum recipes] huic legi contradicit alia Deut. et. v. 11. ubi permittitur ducere sibi uxorem de mulieribus in bello captis. Respondeo, ista prohibitio intelligitur quando uxor permanserit in sua infidelitate, cum sit periculum avertendi cor Viti ad Deos alienos: Secus autem si ad Iudaicam religionem transierit; sic Salmon duxit meretricem Rahab, sic Booz Ruth Mohabitidem, et alia exempla. Contra vero reprehenditur Salomon, eo quod mulieres infideles duxerit sibi uxores. Nec obstat si Sampson Philistaeam infidelem acceperit, et Esther cum Assuero matrimonium contraxerit. Nam id peculiari Dei dispensatione factum est, qui etiam periculum praevaricationis avertibat, et magnum inde bonum elicibat.

Cap. 37. v. 1. [Fecit arcam habentem duos semiscubitos in longitudine.] Quibus verbis opponitur alius text. Exod. 25. v. 10. [Arcam compingite cuius longitudo habeat duos, et semis cubitos.] Respondeo, facilis est solutio; nam in primo text. subintelligitur particula et, dicendum enim est. [Duos, et semis cubitos.] Ita etiam legit Arab. tex. dicens: [Duos cubitos cum dimidio]

Cap. 37. v. 14. [Contra coronam.] Exodi vero 25. v. 27. [Subter coronam.] Respondeo idem esse hoc in loco contra, ac subter, nam verbum Leomod significat apte, ut non excedat.

#### EX LEVITICO.

CAP. 16. v. 29. [Mense septimo decima die mensis affligetis animas vestras.] Huic praecepto contradicit aliud in cap. 23. v. 32. [Affligetis anima vestras die nono mensis.] Respondeo hic textus loquitur de principio ieiunii, quod incipiebat a vespere diei noni, et protrahabatur usque ad vespere dies decimi, ut additur ibi. [A vespera usque ad vesperam.]

Cap. 17. V. 3. [Si occiderit bovem, aut ovem, sive capram in castris, vel extra castra, et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit.] Loquitur textus de occisione sacra, nempe de sacrificio, quae non poterat fieri, nisi in atrio; et tamen contra hoc Dei praeceptum Samuel sacrificavit in Maspha. 1. Reg. 7. v. 9. Elias in monte Carmeli. 3. Reg. 18. v. 33. Respondeo cessantibus causis prohibitionis, ut ait S. Aug. quaest. 56. in Leu. cefsat ipsa prohibitio. Causae autem hae erant. Prima, ne laicus aliquis sacrificandi munus sibi arrogaret. Secunda, ne idolatriae pateret via sacrificando in excelsis more Gentium.

Cap. 12. v. 25. [De manu alienigenae non offerctis panes Deo vestro, et quicquid aliud dare voluerit.] Contra hoc Dei praeceptum Rex Darius 1. Esd. 6. et Seleucus 2. Mach. 3. dicuntur ministrasse sumptus ad sacrificia necessarios. Respondeo praeceptum hoc prohibet oblationem immediatam, nam licebat accipere pecunias a Gentilibus ad emendas victimas etiam pro ipsis Gentilibus offerendas in templo.

#### EX LIBRO NUMERUM

CAP. 3. V. 25. [Habebunt excubias in tabernaculo foederis.] Loquitur de Levitis, et tamen Exod. 4. et alibi solis Sacerdotibus assignatum est munus custodiendi tabernaculum, illudque ingrediendi. Respondeo, in tabernaculi, idem est, ac si dicat super tabernaculum, scilicet super instrumenta sacra, quae custodiebantur a Levitis, tum quando stabat tabernaculum, tum etiam cum deportabatur.

Cap. 3. v. 39. [Omnes Levitae, quos numeraverunt Moyses, et Aton, iuxta praeceptum Domini per familias suas in genere masculino a mense uno, et supra fuerunt viginti duo milia.] Hoc stare non potest cum calculo superius connumerato, qui numerat viginti duos mille, et trecentos. Respondeo, illos trecentos inter Levitas ibi non numerari, eo quod totidem essent inter ipsos primogeniti post egressum ex Aegypto procreati, quia aliunde erant Deo dicati, nec venire poterant in aliorum Levitarum numerum. Nam Levitae pro primogenitis aliarum Tribuum commutandi, ac in eorum locum substituendi, Deoque appropriandi erant. Ita Comest. Abul. Lyr. Dion. Carthus. et Caiet.

Cap. 11. v. 14. [Non possum solus sustinere omnem hunc populum.] quomodo iuste quaeri potest Moyses se solum sustinere populi gubernacula, si ex soceri consilio elegerat tot millenarios, centenarios, quinquagenarios, ac decanos iudices, ut dictum est Exod. 18. Respondeo, isti solum adiuvabant Moysen in civili administratione, et forensibus negotiis.

Cap. 12. v. 1. [Propter uxorem eius Aethiopiassam.] Loquitur textus de uxore Moysis, quae tamen Exod. 2. v. 16: dicitur fuisse Madianitis ex Arabia. Respondeo, duplex est Aethiopia. Una Occidentalis ultra Aegyptum in Africa, quae etiam Abasia dicitur. Altera est Orientalis, quae dicitur Arabia, et complectitur Madianitas, aliosque populos ad Arabicum sinum vergentes versus Austrum. Ita Lyr. Abul. Vatab. Herodot. Plin. S. Aug. Theod. Rab. Rup. Oleast. Cornel. unde non est audiendus Iosephus, qui lib. 2. Antiq. cap. 10. ait Moysen in Aegypto commorantem gefsisse bellum contra Acthiopes, eosque subiugasse, accepisse que sibi in uxorem filiam Regis Aethiopum, vel textus loquitur hironice; nam Sephora erat pulcherrima inter omnes mulieres, ut tradunt Rabbini. FR. Vide quae dixi in Hierolexico dict. Sephora.

Cap. 20. V. 29. [Illo mottuo in montis supercilio.] nempe montis Hor: idem confirmatur cap. 33. v. 3. et Deut. cap. 32. v. 50. contrarium asserit Moyses Deut. cap. 10. v. 6. [Filii Israel moverunt castra ex Beroth filiorum Ican in Mosera, ubi Aron

mortuus, et sepultus est.] Non possumus foluere hanc difficultatem, nisi admittamus Rabbiorum traditiones, qui asserunt Aron vere mortuum in Hor; sed filii Israe~l ob amissum patronum tam amantem populi decreverant redire in Aegyptum, et si ciam reversi fuerant in Mosera, ubi planxerunt Aronis mortem, qui dicitur ibi mortuus, quia ibi divulgata fuit eius mots plactus, ac populi ululatu. ita scribit R. Bachie, ex traditione a R. Tanchuma, quem aiunt fuisse Platonis magistrum, deinde tribus Levi sancto zelo arma contra Israelitas arripuit, et coegit ut priori itineri insisterent; nam populus desperare coeperat de ingressu in terram sanctam.

Cap. 22. v. 22. [Et iratus est Deus.] Nimirum contra Balaam, et idem confirmatur vers. seq. 32. dicens illi Angelus. [Quia perversa est viaetua, mihi que contraria.] Quae omnia non concordant cum iis, quae habentur hoc eodem cap. v. 20. ubi Deus veniam eundi Balaamo concedit: Surge, et vade cum eis. Ergo non est dignus reprehensione Balaam. Respondeo Deus concesserat veniam, cum hac tamen conditione, ut nihil faceret, nisi quod ei praecepturus esset: At vero Balaam in itinere averitia victus, animo statuebat si aliquo modo maledicere posset Hebraeis, quod erat omnino contra Dei praeceptum, ac voluntatem.

Cap. 25. V. 12. [Ecce do ei pacem foederis mei; et erit tam ipsi, quam semini eius pactum Sacerdotii sempiternum.] Quomodo stat ista Dei promissio facta Phinees, si 1. Reg. 2. post eius pronepotem translatus suit Pontificatus ad Heli, qui erat de familia Ithmari, ut air Iosephus lib. 5. Antiq. cap. ult. et lib. 8. cap. 1. Respondeo, foedus hoc conditionatum fuisse, nempe, si eius posterum in fide, ac Dei cultu constantes perseverassent. Foedera namque, quia mutuam obligationem utrique parti inducunt; ita Dionys. Carth. Unde resipiscentibus posteris Phinees tempore Danidis, et Salomonis Pontificatus ipsis restitutus fuit, quem retinuerunt semper saltem usque ad Herodis tempora, quando non amplius iure successionis, sed pretio, vel gratia Principum hic honor obtinebatur. Itaque fuit illi pactum Sacerdotii sempiternum usque ad finem Synagogae, licet per tempus breve interruptum, et sic Caiet. ait promissionem hanc fuisse iuris, non facti.

Cap. 27. v. 12. [Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde terram.] Alio vero in textu nempe Deut. 34. v. 1. [Ascendit Moyses super Montem Nebo.] Respondeo, continuatio plurium montium vocabatur Abarim, quod hebraice significat transitum cuius una pars, seu iugum ad quod Moyses ascenderat appellabatur Nebo. Ideo mons vocabatur Phasga, quod significat speculam, seu montis superciliu. Mons igitur vocabatur Nebo, sed alia nomina non sunt propria; nam dicebatur Abarim, quia inde patebat transitus ad diversa loca, vocabatur Phasga ob loci eminentiam.

Cap. 32. V. 21. [Omnis vir bellator armatus Iordanem transeat.] Legimus tamen Iosue 4. v. 13. solum quadraginta milia transisse. Respondeo. Omnis vir bellator, scilicet a me, vel a Iosue designandus; nam aliqui ultra Iordanem remanserunt ad custodiendas Urbes.

#### EX DEUTERONOMIO.

Cap. 2. v. 29. [Sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, et Moabita, qui morantur in Ar.] sunt verba legatorum Israel ad Schon regem, a quo petierant transitum, et victum pecunia comparandum quemadmodum fecerant filii Esau, et Moabitae; et tamen istae nationes negarunt transitum, et victum: ita Num. tc. v. 18. et Deut. 23. v. 3. Respondeo ista ultima verba intelligenda non sunt de transitu; sed de victu, quem vendiderunt Israe~litis: ita conciliat haec loca R. Salomon. Alii vero rabbini referunt ista verba Sicut fecerunt ad sepulentem periodum, nec esse prolata a legatis; sed Sacra Scriptura narrat exitum rei, scilicet. [Sicut fecerunt filii Esau etc. Noluitque Schon rex Hesebon dare nobis transitum.]

Cap. 4. v. 48. [Usque ad montem Sion, qui est Hermon.] At mons Hermon est trans Iordavem mons vero Sion Hilerosolymae. Respondeo, mons Hermon vocabatur Sidoniorum lingua Sarion, ut habetur c. praec. num. 9. [Usque ad montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhaei Sanir.] totus vero montium tractus dicebatur Galaad, cuius extrema pra trans Iordanem vocabatur Hermon, vel Sarion, vel

Sanir. aut Sion, sed scribitur per Scin ad differentiam alterius Sion, super quem est atx David, haec enim scribitur per Tsade. FR. Vide Sanir in Hier.

Cap. 5. v. 3. [Non cum patribus nostris iniit pactum, sed nobiscum.] Sed hoc non concordat cum eo, quod traditur Gen. 15. v. 18. [In illo die pepigit Dominus foedus cum Abraham.] Respondeo illud foedus non fuit tale, quale hic initum fuit, ibi enim solam Abrahamo promisit terram Chananaeorum; hic vero omnes Abrahae posteros im populum suum peculiaribus legibus, ac caeremoniis sibi adstrictos acceptat Deus, et illi vicissim acceptant eum in Deum, eiusque legibus sese adstringunt, unde hebraea lectio habet. [Non cum patribus pepigit pactum istud.]

Cap. 12. V. 17. [Primogenita armentorum, et pecorum et c. coram Domino Deo tuo comedes ea] Cui praecepto contradicere videtur aliud Deu. 15. vers. 19. [De primogenitis, quae nascuntur in armentis, et in ovibus tuis quidquid est sexus masculini sacrificabis Domino.] quae Sacerdotibus integra caedebant. Respondeo. Primogenita, quae comedi coram Domino, et non in urbibus iuber Deus, non erant masculini sexus, et sine macula; sed vel sexus feminini, vel maculata vitio aliquo corporis.

Cap. 15. V. 4. [Et omnino indigens, vel mendicus non erit inter vos.] Ex alia vero parte habemus hic ver. 11. [Non deerunt pauperes in terra ha. bitationis tuae.] Insuper Matth. 26. v. 11. [Pauperes semper habebitis vobiscum.] Respondeo ex versione septuaginta Interpretum manifeste colligitur hoc fuisse praeceptum, quo Deus pauperibus subveniendum esse demonstrat. \*tw=| de a)delfw=| sou a(/fesin peih\seis2, o)(tiou)k e)/sin e)n sei e)ndeh)s2. [Fratrī autem tuo remissionem facies, quia non est in te indigens.] Quod praeceptum singulis quidem impositum est. Aliud est praecipere aliquid singulis, aliud vero consequi finem ipsius praeepti, quod non est in potestate singulorum, sic etiam alibi prohibentur meretrices ex filiabus Israel. quis tamen negabit defuisse unquam de facto meretrices. Aliter conciliat hos textus Vatab. ait. n. inter Hebraeos fuisse quidem privatos pauperes, non tamen publicos mendicos, quod observatur in aliquibus civitatibus bene ordinatis.

Cap. 23. v. 1. [Non intrabit Eunuchus etc. Ecclesiam Domini] contra hoc est locus Isai. 56. v. 5. [Eunuchis qui tenuerint foedus meum, dabo in domo mea locum.] in super Actor. 8. v. 27. [Ecce vir Aethiops eunuchus venerat adorae Ierusalem.] Respondeo per Ecclesiam, hic non intelligitur templum, nec religio Iudaica, quia ad haec patebat liber aditus cuius alienigenae, dummodo esset circumcissus; loquitur igitur textus de ire civium, quo speciali gratia exteri donabantur, fiebantque capaces munerum, ac dignitatum publicarum, idem dicendum est de nato ex scorto, cum hac tamen exceptione sumenda est ista lex, si nimitum, tam praeclara essent merita, poterat aliquis populo adcenseri, ut concessum fuit Rahab meretrici, ita Ios. 6. et Achior Ammonitae. Iudith. 4. et aliis, qui iura civium adepti sunt.

Cap. 33 V. 12 [Et Benjamin ait. Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.] Haec Mosis benedictio non videtur adimpleta, nam Templum, et ipsa Ierusalem erant in Tribu Iuda. Ita Ios. 15. v. 18 item Psal. 77. [Elegit tribus Iuda, montem Sion.] Respondeo licet pars Ierosolymae superior australis, ubi erat mons Sion, pertinerat ad Tribum Iudae, pars tamen inferior, et septentionalis cum intermedio monte moria, in quo templum exstructum fuerat pertinebat ad tribum Benjamin, ita Luran. in Gen. 28. et quando dicitur Deus habitasse in Sion est figura Synecdoche, quatenus Sion snmitur pro tota urbe Ierosolyma.

#### EX IOSVE.

Cap. 1. v. 11. [Post diem tertium transibitis Iordanem:] Quomodo hoc subsistit cum c. seq. ubi Text. loquitur de exploratoribus mis. sis, qui triduo latitarunt in montibus, et post illorum reditum adhuc Hebraei manserunt tres dies apud Iordanem, ut colligitur ex cap. 3. Respondeo; Haec narrantur per hysteron proteron anticipative, nam missio exploratorum praeponi debet huic praecepto Iosue per castra divulgato, unde isti tres dies, de quibus hic fit mentio, sunt iidem cum illis tribus diebus, qui habentur cap. 3. ubi loquitur Textus de mansione populi post reditum exploratorum: ita Abul et alii.

Cap. 15. v. 17. [Coepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb iunior.] Contra vero Num. 32. v. 12. ait Texus: [Praeter Caieb filium Sophone Cenezaeum.] Ergo Caleb non erat frater Othonielis, sed Cenez. Respondeo Otheoniē non dicitur absolute frater Caleb, sed eum additamento. nempe, frater iunior, seu minor, nempe, nepos ex fratre. Ita Oleast. et Eugub.

Cap. 21. v. 36. [Civitates refugii Bosor in solitudine, Misor, et Iaser, et Iethson, et Mephaat civitates quatuor.] Quomodo sunt quatuor, si numerat quinque. Respondeo Misor, et Iaser esse unam, eandemque Civitatem. Unde in textu Hebraeo non legitur Misor.

#### EX LIBRO IUDICUM.

Cap. 9. v. 18. [Interfecistis filios eius septuaginta viros.] Et tamen ex hoc toto capite, et ex praecedenti v. 3. mamfeste colligitur occisos fuisse tantum sexaginta octo. Nam Abimalech unus ex fratrum numero fuit interfecto. Ionathas vero natu minimus fugit, et mortem evasit. Respondeo. Scriptura saepe ponit numerum pleum, ac rotundum, neglecto, minore, vel maiore, etiam si aliquantum ctrscat, vel decrescat v. g. Num. cap. 11. Vocantur septuaginta seniores, cum re vera fuerint septuaginta duo, ita hic e contra adduntur duo, qui non fuerunt interfecti, licet et ipsi de fratrum numero essent.

Cap. 10. v. 1. [Post Abimalech surrexit dux in Israel Thola filius Phua, patruī Abimalech, vir de Isachar.] Ex quibus constat Tholam fuisse nepotem Gedeonis. Gedeon enim erat frater Phua; sed quomodo concordat textus cum alio Iud. 6. v. 15. ubi dicitur Gedeon fuisse de tribu Maassis, non vero Isacharis. Respondeo. Gedeon, et Phua licet fratres essent uterini, nihilominus ex patribus diversarum tribuum nati sunt, ita S. Aug. que. 47. Poterant enim feminae nubere viro alterius tribus, quando ea occasione non transferebatur hereditas in alteram tribum.

Cap. 10. v. 4. [Habens triginta filios sedentes uper triginta pullos asinat, et principes triginta civitatum, quae ex nomine eius sunt appellatae Havot Iair. idest oppida Iair.] Cui opponitur alius textus Num. 23. v. 41. ubi asferitur has civitates appellatas fuisse ab alio Iair filio Manas. sis longe antiquiore. Respondeo. Senior ille Iair dederat nomen istis villis; Posterior vero Iair muris illas cinxit, ac in oppida erexit, idemque nomen comprobavit, et roboravit.

ap. 18. v. 1. [Tribus Dan quaerebat possessionem sibi, ut habitaret in ea. Usque ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non acceperat] Quo. modo hoc stare potest cum eo, quod dicitur cap. 19. lib. Iosue, ubi describitur sors septima filiis Dan. Respondeo illa sors non erat satis ampla, cum fuerit occupata ab Amorrhais magna ex parte.

Cap. 21. v. 4. [Exstruxerunt altare, obtuleruntque ibi holocausta.] Altare iam exstructum fuerat a Moysē Exod. 38. in super non licebat aras erigere, nec victimas offerre extra tabernaculum soederis, ideoque improbatur novi altaris erectio Iosue 22. Respondeo, hoc altare in ipso tabernaculo exstructum fuit, quod licitum erat, ut docet Abul. Poterant enim pulura altaria in loco tabernaculi erigi, si victimarum numerus ita exegisset, ut fecit Salomon 3. Reg. 8. extra tabernaculum vero numquam licitum erat, nisi ex speciali Dei dispensatione.

#### EX LIBROI. REGUM.

Cap. 1. v. 1. [Elcana filius Ieroham; filii Eliu, filii Thehu, filii Suph Ephrataeus.] Et tamea ex 1. Par 6. v. 33. Elcana dicitur fuisse ex tribu Levi. Respondeo, vere fuit Levita, natus tamen in Ramatha Civitate Levitica, quae sita erat in tribu Ephraim. Unde domicilio erat Ephara. taeus: genere tamen Levitico, sic etiam in Actis Apostolorum Iudaei ratione domicilii appellan. tur Cretenses. Arabes etc.

Ibid. v. 11. [Dederisque servae tuae sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitae eius.] Quomodo Mater Samuelius promittit filium Domino, si omnes Levitae erant Domino dicati ut habetur Num. 3. v. 45. Respondeo Levitae dicabantur Domino a trigesimo aetatis suae anno usque ad quinquagesimum: ita Num. 4. v. 2. Anna vero sempiterno Dei obsequio filium deuovent Nazarenum futurum.

Cap. 3. v. 7. [Porro Samuel necdum sciebat Dominum.] Haec verba quomodo verificantur, si cappraeced. dictum est. [Samuel proficiebat, et placebat tam Domino, quam hominibus.]

Respondeo, hic Textus loquitur de peculiari scientia, et cognitione, qua Prophetæ sensibiliter, ac per revelationem Dominum audiunt.

Cap. 8. v. 6. [Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent. Da nobis regem.] Imo etiam Domino displicuit, qui id Samuelli indicavit. [Non enim te abiecerunt, sed me.] Et tamen Deut. 17. v. 14. permittitur Israeli constituere sibi Regem. [Cumque ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possideris eam etc. constituam super te Regem.] Respondeo non peccantur Israelitæ petentes sibi Regem, qui populum ex divino nutu, et legibus a Deo praescriptis regeret; sed peccarunt, eo quod petierunt sibi regem, qui peregrinis legibus, ac institutis eos gubernaret, sicut barbaræ, et gentiles nationes. Hoc enim exprobat ipsis Dominus, et sic hoc eodem cap. explicatur ius regium non, quidem iustum, ut notat S. tho. lib. 3. de regim Princip. cap. 11. et 1. 2. q. 105. art. 1. et 2. Agitur ergo de iure iniusto, ac prohibito, ita S. Greg. Caiet. Abul. Vatab. Secundo, quia petierunt Regem ad iudicandum, quod munus erat iudicum, et non Regis, ad quem solum pertinebat bella dirigere. Tertio quia hæc petitio que. relis manifestata fuit; nam toedio Samuelis populum regem optaverat. Quamplurimæ alia rationes assignantur ab Expositoribus tam Latinis, quam Hebraeis.

Ibidem. V. 18. [Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis vobis, et non exaudiet vos Dominus.] Cui contradicit Textus alius, nimirum c. 9. v. 16. infra: [Quia respexi populum meum: venit enim clamor eorum ad me.] Respondeo, negat Deus se auditurum populi clamorem, nimirum, quando clamabunt a facie Regis nimis duri, quem petierunt: non tamen negat se exauditurum eorum clamores in aliis afflictionibus.

Cap. 11. V. 1. [Et factum est quasi post mensem,] scilicet a Saulis clectione; [Ascendit Naas Ammonites, et pugnare coepit adversus Iabes Galaad.] Et tamen Naas ante Saulis electionem adversus Israe-litas venerat, ut colligitur ex cap. seq. v. 12. [Videntes autem quod Naas Rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi. Nequaquam, sed Rex imperabit nobis.] Quæ verba fuerunt a populo prolata Samueli ante electionem Saulis. Respondeo, verum est Naas expeditionem suscepisse adversus Israem litas ante Saulis electionem, sed videntur Israe-litæ cum illo talibus, qualibus conditionibus transegisse. Nunc vero arrepta hac nova occasione bellum redintegrat tyrannus.

Cap. 13. V. 1. [Filius unius anni erat Saul, cum regnare coepisset. Duobus autem annis regnavit super Israel.] Dicitur filius unius anni ob animi candorem, quem initio regni ostenderat. Sed contra ultimas particulas maxima afferunt difficultatem verba relata Actor. 13. v. 20. [Exinde postularunt regem, et dedit illis Deus Saul filium Cis virum de tribu Benjamin annis quadraginta.] Respondeo, isti quadraginta anni respiciunt tam Samuelis, quam Saulis regimen. Utriusque enim tempora coniunxit ibi Sanctus Paulus, unde Saul regnare coepit anno trigesimo octavo praeffecturae Samuelis et sic duos tantum annos tribuunt aliqui Regno Saulis. Ita Hebraei, Gerard. Mercat. Arias Montan. lib. de saeculis Adricom. anno mundi 2850. Sanct. in 1. Reg. 13. At Salianus ann. 2964. asserit Saulem plures annos regnasse, sed duos tantum inoffenso pede praecurrisse, in quibus vere puerilem repraesentavit candorem, et secundum computum huius Auctoris Saul regnare coepit ann. 23. praeffecturae Samuelis.

Ibid. V. 13. [Quod si non fecisses iam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum.] Et tamen Regnum Israeliticum promissum fuerat tribui Iudae. Gen. 49. [Non auferetur sceptrum de Iuda.] Quomodo ergo domui Saulis praeparasset Dominus regnum in sempiternum, qui erat ex tribu Benjamin. Respondeo promissio ista facta Sauli, est conditionata, illa vero tribui Iudae est absoluta, et quia per scientiam conditionatam viderat Deus Saulem desluxurum a conditione, poterat praedecernere per scientiam absolutam sceptrum transferendum in tribum indaicam. Ita Scholastici. In Sempiternum, iuxta consuetum scripturae morem significat longum tempus, imo saepe a Rabinis haec vox sumitur pro tempore Iubilaei, idest, quinquaginta annorum.

Cap. 14. V. 3. [Achias filius Achitob.] Et tamen cap. 22. legimus. [Achimelech filium Achitob.] Respondeo, sacerdos iste

duplici vocabatur nomine, sicut, et alii multi binomii, qui passim in sacra scriptura occurrunt.

Ibidem. v. 35. [Aedificavit autem Saul Altare Domino; tuncque primum coepit aedificare Altare Domino.] Hoc manifeste contradicit Gen. 8. v. 20. ubi dicitur Noe aedificasse Altare Deo, aliis quamplurimis locis Sacrae Scripturae. Quomodo ergo Saul primum coepit aedificare Altare? Respondeo Saul aedificavit Altare inter reges primus, vel secundum veterum Hebraeorum expositionem Saul primus manum operi admovit, deinde ceteri sequuti sunt Regis exemplum.

Cap. 15. V. 35. [Et non vidit Samuel ultra Saul usque in diem mortis suae.] Hoc repugnat cunctis verbis cap. 19. v. 24. huius libri, ubi dicitur Samuelem prophetasse coram Saule tota die. Respondeo. [Non vidit Samuel ultra Saul.] idest non eum invisit officii, aut amicitiae gratia, quomodo antea solebat, ita Vatab. et alii, vidit tamen eum prophetaus, et alienus a sensibus, quod non est invisere, de quo hic est sermo.

Cap. 21. V. 1. [Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem.] Hic sacerdos Mar. 2. V. 26. vocatur Abiathar. Respondeo; tunc quam. do haec acciderunt aderat etiam Achimelechi Filius nomine Abiathar, qui iugulato patre factus est princeps sacerdotum. et hic propter magistratum diu obtentum notior erat, ita Beda, Salian. Marian. et Eman. Sa. Nisi malis dicere cum Iansen. Tolet. Salmer. et Sanc. tam patrem, quam filium binomios fuisse, quod confirmatur ex 1. Par. 15. et 18. ubi regnante Davide dicuntur fuisse Sacerdotes modo Sadoc, et Abiathar, modo Sadoch, et Achimelech.

Cap. 28. v. 13. [Deos vidi ascendentes de terra,] sunt verba Pythonissae videntis Samuelem, et deinde v. 14. ait. [Vir senex ascendit,] loquitur vero de eodem: cur igitur vocat Samuelem modo D??os, modo senem. Respondeo: Phrasis Hebraea saepe utitur plurali pro singulari ad designandam personae dignitatem, sic Exod. 32. de unico vitulo dicitur. [Hi sunt Dii tui,] et manifeste colligitur haec explicatio ex Saulis responsione, qui bene intellexit Pythonissam de uno locutum fuisse, ideoque interrogat: [Qualis est forma eius,] tunc ipsa relicto numero plurali subiungit. [Vir senex.] FR. V. in Hierol. Dii.

Ibid. V. 19. [Cras autem tu, et filii tui mecum eritis.] Quomodo hoc verum esse poterat; nam Saul damnatus fuit, ut colligitur ex 1. Par. 10. v. 13. [Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas. eo quod praevariatus sit man. datum Domini.] Samuel e contra erat in loco salutis. Respondeo. illa verba solum denotant, Saulem e vivis excessurum, et aggregandum numero reliquorum defunctorum; et licet alii qui, inter quos Lyra, dubitent de Saulis dam, natione, nihilom inus omnes fere Sancti Patres id affirmant; ita Hier. Ambr. Aug. et recentiores Doctores.

Cap. 29. v. 3. [Num ignoratis David, qui fuit servus Saul regis Israel, et est apud me multis diebus, vel annis] Sunt verba Regis Achis, apud quem tamen David quatuor tantum mensibus mansit, ut colligitur ex cap. 27. huius libri, Respondeo. Rex Achis mentitus fuit, ut magis exploratam redderet Davidis fidem ita Sanct. At Salianus ait Regem nequaquam mentitum, sed sub disiunctione locutum fuisse. Vel denique possunt haec verba intelligi de tempore, quando David in prima fuga venerat ad Achis et simulata stultitia discesterat.

Cap. 31. v. 6. [Mortuus est ergo Saul, et tres filii eius, et armiger illius, et universi viri eius in die illa pariter.] Hoc videtur falsum; nam infra 2. Reg. 1. v. 4. dicit textus. [Fugit populus ex praelio, et multi corruentes e populo mortuisunt.] Ergo multi non tamen universi caesi sunt. Respondeo. Verum est non omnes corruisse, nam multi evaserunt. At Textus hic loquitur de viris Saulis familiaribus, nimirum, de aulicis, ac de militibus regiam personam custodientibus, qui omnes corruerunt.

## EX LIBRO II. REGUM.

Cap. 2. v. 10. [Duobus annis regnavit:] 10. quitur scriptura de Iesboseth, qui tamen, ut versu seq. colligitur, regnavit septem annis cum dimidio. Respond. illi duo anni intelliguntur de eo tempore antequam bella inter ipsum, et David exorirentur, nam postea adhuc quinque annis cum dimidio regnavit, ut docent Genneb. Abul. Serar. Tor. et Salian. unde Textus loquitur de annis pacificis; nam reliqui quinque cum dimidio fuerunt turbati.

Cap. 4. v. 2. [Duo autem viri principes latronum erant filio Saul.] Cur isti duo vocantur latrones si legitimum regem comitabantur. Respondeo, milites appellatos fuisse antiquitus latrones, teste Varrone, quasi laterones, eo quod latera Principis stiparent, et Virg. 12. Aeneid. Plaut. in mil. glor. act. 1. scen 1. in fine, nomine latronum milites intelligunt. Confirmatur ex versione septuaginta: \*hgou)menoi sus2remma/ twn. Nimirum Ductores Turmarum, similia habet Chaldaeus.

Cap. 6. v. 10. [Sed divertit eam in domum Obededom Gethaei.] Iste Obededom fuit Levita, quomodo ergo erat ex Geth Philistaeorum civitate. Respondeo, vocatur Gethaeus a loco habitationis, quia eius pater. ut vult Vatab. et serar. vel ipsemet exulavit in Geth cum Davide, et Abiatharo Pontifice, ita Abul. et Salian:

Ibid. v. 20. [Nudatus est quasi si nudetur unus de scurris.] Versu vero 14. dicitur: [Porro David erat accinctus Ephod lineo, seu stola byssina.] Ut habetur 1. Par. 15. ergo non erat nudus. Respondeo. David nudatus est veste extima, et regali paludamento, et indutus est Ephod lineo ad modum Levitarum.

Cap. 8. v. 18. [Filii autem David sacerdotes erant,] quod non concordat cum cap. 18. lib. 1. Par. ubi dicitur. [Filii David primi ad manum regis.] Obstat etiam quod ex Tribu Tuda non poterant eligi sacerdotes. Respondeo, nomen sacerdotis aliquando usurpatur pro Principe, qui apud Regem sit adeo familiaris, sicut Sacerdos apud Deum, unde familiares, et primi in aula dicuntur per Catachresim Sacerdotes, et sic Graeca lectio vertit, \*aula/rxai, idest, Aulae principes. Sic etiam Deut. cap. 19. v. 22. Primogeniti familiarum vocantur sacerdotes, et tamen tunc tempore nondum erant consecrati filii Aron.

Cap. 10. v. 18. [Et occidit David de Syris septingentos currus, et quadraginta milia equitum.] Contra veto 1. Par. 19. v. 18. [Interfecit David de Syris septem milia curruum, et quadraginta milia peditum.] Respondeo tex. tus loquitur metonymice, quando numerat septem milia curruum; accipit enim rem continentem pro contenta; nam ex illis quadraginta milibus equitum, quos numerat liber Regum, multi curribus investiti pugnabant. Denique pedites resensiti in lib. Paralip. suppletur eo quod deerant in lib. Reg. itaque in hoc bello caesisunt octoginta milia armatorum, praeter nobiliores illos, qui septingentis curribus vehebantur. Ex utroque enim Textu colligendus est caesorum numerus, ut ait Marian. et alii.

Cap. 13. v. 13. [Quin potius loquere ad regem, et non negabit me tibi,] sunt verba Thamar ad fratrem Amnon. Sed hoc erat contra Dei legem; nam Levit. 18. v. 9. prohibetur connubium fratris cum sorore, licet sint ex diversa matre. [Turpitudinem sororis tuae ex patre, sive ex matre, quae domi, vel foris genita est, non revelabis.] Respondeo. Thamar nata fuerat ex matre gentili, nimirum, ex filia regis Gessur, ubi huiusmodi connubium licitum erat, unde legis divinae ignara putabat id etiam Haebreis licitum esse, ita Abul. et Gaiet. Vel dici potest puellam quaesivisse huiusmodi essugium, ut nuptiarum promissione eludere, vel saltem retardare potuisset fratris insaniam, ita Sanct.

Cap. 15. v. 7. [Post quadraginta annos dixit Absalom ad regem David.] Si David regnavit solum quadraginta annos, quomodo haec propositio vera esse potest? Respondeo igitur omnia opinionum varietate, et dico hos annos sumpsisse principium a prima Davidis unctione, quae incidit in annum nonum ante Saulis mortem, unde haec rebellio facta fuit anno 31. regni Davidis, ita Salian. Qui vero existimant Sau lem regnasse tres tantum annos, aiunt hos an nos sumere principium ab ipsa Saulis electione utpote aera vulgati, et secundum hos Auctores rebellio facta fuit anno 37. regni Davidis, quibus si addas tres Saulis, erunt quadraginta.

Cap. 18. v. 6. [Factum est proelium in saltu Ephraim.] Certum est autem huiusmodi proelium commissum fuisse trans Iordanem, ut colligitur ex cap. sup. v. 24. et cap. seq. v. 15. ubi dicitur David post hoc proelium traecisse Iordanem, cur igitur locus iste vocatur saltus Ephraim, cum tribus Ephraim tota consererat cis Iordanem? Respondeo, saltus hic dictus est Ephraim ab insigni clade, quam Ephraimitae rebelles hic acceperant, ut narratur Iud. 12. ita Abul. et Sanct.

Ibid. v. 18. [Dixerat enim, nempe, Absalom, non habeo filium,] contradicit cap. 14. huius libri. v. 27. [Nati sunt Absalom filii

tres, et filia una.] Respondeo, vel iam tunc mortui erant, ut plerique asserunt; vel certe titulum hunc erexerat cum nullum adhuc filium haberet, ist Sanct.

Cap. 19. v. 10. [Idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph.] Sunt verba Semei desendentis in occursum David, veniamque ab eo petentis; At Semei, ut habetur supra cap. 16. erat de cognatione Saul, ergo de domo Benjamin. Respondeo. Tota domus Israel in Scripturis saepe vocatur domus Ioseph. Sic Psal. 79. [Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Ioseph.] Similia habentur Psalm. 76. et 80. et Zach. 10. Ratio huius est, quia in Aegypto celebrius erat nomen Ioseph, quam Israelis: Ioseph enim fratribus suis loco patris fuit. Denique Ioseph acquisierat primogeniti dignitatem, ut habetur 1. Paral. 5. [Ruben fuit primogenitus sed cum violasset torum patris sui, data sunt primogenita eius Iosepho.]

Cap. 21. v. 2. [Porro Gabaonitae etc. erant reliquiae Amorrhaeorum.] Contra vero Iosue 11. v. 18. dicuntur fuisse ex genere Hevaeorum. Respondeo. Amorrhaei, utpote omnium populorum terrae promissionis potentissimi, nomen reliquis nationibus communicarunt, unde omnes Palaestini vocabantur Amorrhaei, ita Genes. 15. [Nondum impletae sunt iniquitates Amorrhaeorum,] et Amos 2. [Ego autem exterminavi Amorthaeum.]

Ibid. v. 8. [Et quinque filios Michol filiae Saul quos genuerat Hadrieli.] Maxima insurgit difficultas in hoc Textu; nam in primis Michol fuit sterilis 2. Reg. 6. v. 23. [Michol non est natus filius.] Secundo Michol numquam iuncta fuit Hadrieli; sed eius soror Merob. Respondeo. Caiet. et alii dicunt locum istum corruptum fuisse, et pro Michol legendum esse Merob. Alii vero dicunt hos quinque filios, Merob iam defunctae, adoptaros fuisse ab illius sorore Michol, quae liberis carebat, vocantur autem filii Michol, quia ab ipsa tamquam veri filii tractabantur, ita S. Hieron. in tradition.

Ibid. V. 9. [Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthaeos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethaeum.] Constat tamen Goliath occisum fuisse a Davide, ita 1. Reg. 17. Respondeo, istum fuisse fratrem alterius Goliath, ut manifeste colligitur ex 1. Paral. 20. v. 5. [Percussit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites fratrem Goliath Gethaei.] et fusa ostendit Salian. qui ait Adeodatum ab hebraeo conversum fuisse nomen Elchana, qui inter fortiffimos Davidis numoratur.

Cap. 23. v. 11. [Erat quippe ibi ager lente plenus.] Diversa habentur 1. Patalip. 11. v. 13. ubi de hac eadem pugna fit mentio his verbis. [Erat ager regionis illius plenus hordeo.] Respondeo. Vel erat veroque semine plenus; nam una pars hordeo erat sati, altera vero lentem continebat. Vel in aream comportata fuerat messis utriusque, ita Caiet. Hugo, Vatab. Unde in agrum illum asportati fuerant manipuli tam hordei, quam lentis, ita fatatur accepisse a suis maioribus Rabbi David huius loci commentator.

Cap. 24. v. 9. [Et inventa sunt in Israel octingenta milia virorum fortium, qui educerent gladium, et de Iuda quingenta milia pugnatorum.] Hic numerus non concordat cum eo, qui assignatur 1. Par. 21. ubi sic legitur. [Inventus est omnis numerus Istael mille milia., et centum milia virorum educerent gladium. De Iuda autem quadringenta septuaginta milia bellatorum.] Respondeo, Ioab invitus hoc regis imperium exsequatur; unde nec tribum Levi, nec Benjamin numeraverat, imo territus plaga e caelo immissa, destitit a populi numeratione; ipse etiam David insserat supersederi, interea tamen pergebant adhuc alii Principes, qui in remotis tribubus censui praeerant; unde antequam illis innotuisset regis inhibito, collegerant alia trecenta milia virorum ex Issrael. Contra vero tribus Iuda, ido minor ab ipsis assignatur, quia aliquid detraxerant; Ioab autem, utpote ex ea tribu, potius eam auxerat. Itaque census, quem meminit liber Regum, fuit a Ioab exhibitus, qui negligentior fuit in, numerandis aliis tribubus. Census vero relatus in libro Paral. collectus fuit a ceteris Ducibus, qui etiam in hac populi numeratione adiuabant ipsum Ioab. Ita Caiet. et Sanct.

### EX LIBRO III. REGUM.

Cap. 3. v. 12. [Deit tibi cor sapiens, et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.] Haec Dei promissio habet aliquam difficultatem.; nam Salomon non

fuit sapientior Adamo, et multis Prophetis, qui ante ipsum fuerunt, imo nec sapientior Christo Domino, eiusque Matre, ac Apostolis, qui post Salomonem exstiterunt. Respondeo. Aliqui putant solum fieri comparationem cum Regibus Israel, quorum sapientissimus fuit Salomon. Aliqui dicunt hic sermonem esse de hominibus vulgari modo procreatis, ac de sapientia naturali, quae infusa fuit Salomoni; non vero de supernaturali, ita Iustin. Mart. q. 25. ad Orthodox. Clem. Alex. lib. 1. Strom. Aug. lib. 8. de Civit. Dei cap. 48. Philo in vita Moys. lib. 1. Perer. in cap. 1. Exod. q. 7.

Cap. 4. v. 4. [Sadoc autem, et Abiathar Sacerdotes.] Quomodo etiam Sacerdotes, si cap. 2. huius libri dicuntur eieci a Salomone in exilium? Respondeo. Hic non recenseantur Ministri a solo Salomone constituti; sed etiam interseruntur aliqui a Davide designati, licet fuerint postea, eieci.

Cap. 5. v. 4. [Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, et non est satan, neque occursum malus.] Sunt verba Salomonis dicta ad Regem Tyri, quae tamen videntur contraria cap. 11. v. 25. huius libri, ubi loquens Textus de Adad ait: [Eratque adversarius Israeli cunctis diebus Salomonis.] Respondeo. Iste Adad rebellis sutrexit tunc, quando ipse etiam Salomon a Deo deficiens in Idololatriam prolapsus est: ita Caiet. Dionys. Carth. Lyr. Abul. et Sanct. unde in tanti sceleris poenam id accidit.

Cap. 7. v. 13. [Tulit Hiram de Tyro filium mulieris viduae de tribu Nephthali.] Hic tamen 2. Paralip. 2. dicitur natus ex matre, quae erat de, filiabus Dan. Insuper vocatur Pater Regis Tyri, et cap. 4. vocatur etiam Pater Salomonis. Respondeo, natus hic erat ex matre de tribu Dan, at ex Patre de tribu Nephthali. Appellatur autem Tyrius ob diuturnam bibitationem, et artis suae exercitium in illa Civitate. Ita S. Hieron. et Marian. Dicitur denique Pater salomonis, et Regis Tyri, quia ob eius eximium magisterium voeitabatur ab eis Pater.

Ibid. V. 15. [Finxit duas columnas arreas, decem, et octo cubitorum altitudinis columnam, unam.] Diversa mensura assignatur 2. Par. 3. V. 15. [Duas columnas, quae triginta, et quin. que cubitos habebant.] Respondeo, iuxta Vila. Caiet. et Abul in hoc numero maiori comprahenduntur bases, capitella, et lilia, et sic crescit altitudo.

Ibid. V. 26. [Duo milia batos capiebat.] At lib. 2. Paral. cap. 4. ait Textus: [Capiebat tria milia metretas.] Quae mensura cum sit eadem cum bato, sequitur contradictio in Textibus. Respondeo, bati vulgares erant tertia paret, minores batis sacris, de quibus hic loquitur Textus, et sic per consequens erant etiam maiores metretis, ita Marian. Vel dicamus cum, Eman. Sa, licet caperet tria milia; nihilominus duo tantum milia infundi solitum fuisse. Nam usque ad officiumcapiebat tria milia metretas, sed Rabbinii clarius concordant hos sensus: dicunt enim, quod capiebat duo milia liquidorum, ut colligunt ex paraphrasi chal daeassicorum vero capiebat tria milia, quia horum, mensura sit conferta, ac ad culmen coagitata., ut docet experientia.

Cap. 9. V. 11. [Tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilaeae.] Haec concessio videtur contra Dei praeceptum. Leu. 25. [Terra, non vendetur in perpetuum, quia mea est.] Respondeo, Salomon non concessit Regi Tzrio has Civitates quo ad dominium; sed solum, quo ad usum, nempe, ut fructus illarum tandiu perciperet, usque quae recuperasset impensas ab ipso factas.

Cap. 11. V. 13. [Tribum unam dabo filio tuo propter David servum meum.] Et tamen cap. seq. legimus, tribum etiam Beniamin adhaesisse Robohamo filio Salomonis. Insuper certum est ex 2. Paral. 11. Sacerdotes, ac Levitas universos transiisse ad Iudam. Respondeo. Tribus Beniamin utpote implexa, et vicina tribui Iudae ei adhaesit; sed quia adeo numero accisa erat, ut ad sexcenta virorum capita delapsa sit, comparatione reliquarum tribuum vix. nomen tribus retinuerat; imo in tribum Iuda transierat, et sub. eius nomine perpetuo comprehensa erat, sicut et alii multi reliquarum tribuum, qui vel ante captivitatem assyriacam, vel post babulonicam se tribui Iudae coniunxerant, relicto propriarum tribuum nomine omnes dein appellati sunt Iudaei. Colligitur hoc ex cap. seq. v. 17-[Super filios autem Israel quicumque habitabant in Civitatibus Iuda regnavit Roboam.

Cap. 15. V. 2. [Maacha filia Abessalom.] Constat tamen filiam unicam Absalomis appellatam, fuisse Thamar. Unde S. Hieron. putat hic non esse sermonem de Daudis filio, sed de alio, cui nomen Abessalom. Respondeo, tamen hoc cognomen videtur fuisse commune filiabus primogenitis in regno Gessur; unde etiam mater Absalomis vocabatur Maacha. 2. Reg. 3. v. 3.

Ibid. v. 5. [Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, et non declinasset ab omnibus, quae praeceperat ei cunctis diebus vitae suae, excepto sermone Uriae.] Ter peccasse Davidem, constat ex Sacra Scriptura. Primo, quando neci destinavit universam Nabalis familiam. Secundo, quando saeviit promicue in Ammonitas. Tertio, quando numeravit populum, ut ipsemet fatetur. Cur igitur asserit hic Sacer Textus excepto sermone Uriae, numquam Davidem declinasse a praeceptis divinis. Respondeo Deus hic loquitur, ac iudicat humano more, quo non existimantur peccata ea, quae honesto aliquo praecepto, vel virtutis apparentis velamine conteguntur. Nam ira in Nabal, et in, Ammonitas velatur tegmine vindictae iustae, ac numeratio populi praetextu religiosi tributi pro Templo. Haec itaque peccata Deus non, vult evulgare, contentus, ut iudicio privato ipsius peccatoris cognoscantur - Adulterium v ero, et homicidium enormia quidem peccata, ab omnibus iudi cabantur - Unde secundum, populi existimationem, hoc unicum contra, Uriam scelus gravissimum erat.

Cap. 16. V. 7. [Ob hanc causam occidit cum., Hoc est Iehu filium Hanani Prophetam.] Quomodo igitur Iehu post quadraginta annos occur. rit Regi Iosaphat, ut habetur 2. Par. 19. v. 1. [Reversus est autem Iosaphat rex Iuda in domum suam pacifice in Ierusalem, cui occurrit Iehu filius Hanani Videns.] Respondeo, fuisse diversos omnino, licet nomina parentum, et filorum sint eadem, ita Sanct. Sed in textu Hebraeo nulla surgit difficultas, nam illud Occidit eum refertur ad Ieroboam, et non ad Iehu: desunt enim alia verba Hoc est Iehu, qui adhuc vivebat tempore Iosaphat Regis.

Cap. 21. V. 24. [Si mortuus fuerit Acab in Civitate, comedent cum canes; si autem in agro, comedent cum volucres caeli.] Contrarium asseritur cap. seq. V. 37. nimirum, eius corpus sepultum fuisse in Samaria; can-es vero solum linxisse eius sanguinem. Respondeo. Deus remisit aliquid de severitate iudicii propter subsecutam paenitentiam. Unde in fine huius capituli ait Dominus ad Eliam. [Nonne vidisti humiliatum, Achab coram me ? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius; sed in diebus filii sui.] Qui occisus fuit, ac canibus proiectus; ita 4. Reg. 9. v. 24.

Cap. 22. V. 15. [Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis.] Haec Prophetia Micheae non solum fuit falsae insuper ipse Rex in illo praelio fuit occisus. Respondeo. Micheas ironice loquebatur, quod optime percepit Rex, vel ex gestu, vel ex modo loquendi. Unde adiurat postea Prophetam, ut seposita, functione, vera aperte loquatur his verbis. [Dixit autem rex ad cum, iterum, atque iterum adiuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est.] quod praestitit deinde Propheta Ver 17. nuntians ei necem.

Ibid. V. 34. [Vir autem quidam tetendit arcum in incertum sagittam dirigens, et casu percussis regem Israel inter pulmonem, et stomachum.] Aliter loquitur Textus 2. Par. cap. 18. v. 33. [Inter cervicem, et scapulas.] Respondeo, primus Textus loquitur de vulnere facto in ingressu sagittae; secundus vero Textus loquitur de, egressu eiusdem sagittae. Telum enim ex inferiori loco missum, ac per armorum commissuras ingressum sursum versus inter cervicem, et scapulas prorupit. Textus hebraicus concordat; nam in utroque loco legit Inter ligaturas, et thoracem, quare Vulgata in libris Regum asserit vulnus fuisse in stomacho, ubi solet ligari armatura. In Paralipomenon vero in scapulis habet, ubi etiam solent esse armorum ligaturae.

#### EX LIBRO IV. REGUM.

Cap. 8. V. 10. [Dixitque ei Elisaeus. Vade dic ei sanaberis.] Statim vero subiungit. [Porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.] Haec contraria sunt omnino, Respondeo, vel ironice loquitur in primo Textu, vel certe ad mentem interrogantis respondet; quaerebat enim, an morbus esset letalis, cui Propheta vera respondit; nam rex convaluit ex illa infirmitate, qua minime extinctus fuit; sed violenta suffocatione ab externa causa, ut

patet ex ver. 15. ita Caiet. et Sanc. sunt ergo duo responsa, quae ad diversas causas referuntur.

Ibid. U 26. [Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare coepisset.] Contra vero 2. Paral. 22. v. 2. [Quadragesima duorum annorum, erat Ochozias cum regnare coepisset.] Pro solutione huius difficultatis necessario agnoscendum est mendum in Libris Paral. ut ait Caiet. et Torniel. quod provenire potuit ex notis hebriacis vitiatas, nam pro Caf. et Beth. idest 22. posuerunt Mem, et Beth, idest 42. ut notavit Mariana in hunc locum, unde noster Textus Arabicus manuscriptus, quo utimur, legit etiam in lib. Paral. Viginti duorum. Nisi enim hanc admittas responsonem, cogeris concedere filium biennio senierem patre suo; nam Iotam, pater Ochoziae mortuus est quadragenarius, ut habetur 2. Paral. 21. v. 20. et 4. Reg. 8. v. 17.

Cap. 13. V. 19. [Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies percussisses Syriam usque ad consumptionem.] Et tamen idem Propheta, paulo ante dixerat. [Percutiesque Syriam in, Aphec, donec consumas eam.] Respondeo. Propheta locutus est conditionate, nimirum, si rex fecisset, quod Deus praerequirebat tamquam signum, nempe, septenam percussione, quam, conditionem rex neglexit; ita Abul. Caiet. Suar. Vasq. et Arrub. qui hoc exemplo probant, Deum multa praenosceret scientia conditionata, quae nunquam futura sunt; licet effent quidem futura, si poneretur conditio.

Cap. 15. V. 7. [Sepelieruntque cum cum maioribus suis in civitate David,] libro vero 2. Paral. cap. 26. [Sepelierunt cum in agro regalium sepulchrorum, eo quod effet leprosus.] Respondeo Azarias Rex sepultus quidem fuit prope regum sepulchra; sed non in communi sepulchro, eo quod esset leprosus, quasi mortuorum offa horrerent lepram etiam in regio corpore.

Cap. 18. V. 2. [Viginti novem annis regnavit.] Loquitur Textus de Rege Ezechia; qui tamen, viginti septem annis solum regnati, ut manifeste constat. Tantum enim temporis fluxit a morte patris eius usque ad obitum ipsius Ezechiae. Respondeo. Textus commemorat duos etiam annos, quibus simul cum patre regnaverant.

Cap. 25. V. 7. [Vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem.] Loquitur Textus de captivitate Regis Sedeciae, de quo praedixerat Eyechiel Propheta cap. 12. V. 13. [Adducam eum in Babylonem terram Chaldaeorum, et ipsam non videti.] Quomodo igitur adductus in Chaldaeorum regionem, ipsam tamen non vidit. Respondeo, vere Sedecias Babylonem, ac Chaldaeam non vidit; nam oculis orbatus eo ductus fuit, unde Prophetae vaticinium adimpletum fuit.

## EX LIBRO I. PARALIPOMENON.

Cap. 2. V. 15. [Septimum David.] Numerat scriptura filios Isai, quos asserit fuisse septem; et tamen 1. Reg. 16. U 10. numerantur octo [Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele, et ait Samuel ad Isai. Non elegit Dominus ex istis.] Inter istos non fuit David, ergo erant octo. Respondeo Isai praeter istos septem filios, habuit alium adoptivum, nempe Ionadab filium Sammaa, idest, nepotem ex tertio filio; ita Magister Hist. Scholast. et Ruper. Alii tamen dicunt scripturam hic non ponere numerum completum, praesertim cum nihil faciat ad historiam.

Cap. 3. V. 5. [Porro in Hierusalem nati sunt ei filii Simmaa, et Sobab, et Nathan, et Salomon, quatuor de Bersabee.] Quomodo igitur Salomon Prou- 4. asserit se fuisse unigenitum coram matre sua? Respondent aliqui, Salomonem, fuisse vere unigenitum ex Davide: nam alii tres filii geniti fuerunt ex Uria priori marito, quos tamen David sibi adoptaverat. Sed haec responsio non subsistit; nam Nathan, ex quo S. Lucas deducit Christi genealogiam, vere fuit filius naturalis David. Insuper filius natus ex adulterio impedit, ne Salomon adhuc dicatur unigenitius matris suae. Respondeo igitur cum Saliario, et aliis ab ipso citatis. Omnes isti numerati in Textu vere fuerunt filii naturales David. Salomon vero vocatur unigenitus, quia, tamquam unigenitus longe fuit dilectissimus, ac in matris gremio versatus: unde Septuaginta, transtulerunt: Unice dilectus.

Cap. 21. V. 12. [ut tribus annis famem.] Contra vero 2. Reg. 24. v. 13. [Aut septem annis ve. niet tibi sames] Respondeo, aliqui agnoscunt mendum in Libro Regum, quod itrepsit ex similitudine vocum hebraicarum, quibus ternarius, et septenarius

significantur. Certe Septuaginta etiam in lib. 2. Regum: ponunt tres annos, eundem annorum numerum habet Textus Arabicus manuscript. nostrae Congregationis. Probat etiam ratiō; nam in aliis flagellis per ternarium numerum procedit Scriptura, scilicet, tres dies, tres menses, verisimile est id etiam, accidisse quoque in annis. Sanctius excusat hunc errorem dicens Prophetam initio proposuisse famem annis; sed horrescente Davide, mitioremque poenam petente, ad triennii spatium coarctatam. Nec omittendam exi. stimo Rabbiorum conciliationem, qui dicunt septem annorum famem minari, quia iam praecesserant tres anni, et alios tres suturos minatur Prophetam, quibus addendus alter annus necessarius ad terrae culturam, qui omnes conficiunt annos septem: ita R. David Kimchi.

Ibid. V. 13. [Melius est ut incidam in manus Domini.] Contrarium optabat Sancta mulier Susana Dan. 13. [Melius est mihi incidere, in manus vestras.] Idemque comprobatur Eccles. 2. Respondeo, David loquitur de poena temporali, et corporali. Susanna vero, et Ecclesiast. loquuntur de poena aeterna, et malo spirituali, nimirum, de morte animae.

Ibid. v. 25. [Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri iustissimi ponderis sexcentos.] Ast 2. Reg. ultim. v. 24. aliud pretii genus assignatur: ibi enim dicitur: [Emit David aream, et boves argenti siclis quinquaginta.] Respondeo, pro parva area ad altare condendum necessaria, et pro bobus dedit quinquaginta siclos argenteos, at vero pro reliqua area, quam templo destinaverat vastam, et amplam, addidit postmodum sexcentos aureos siclos. Aliter tamen, conciliant hos textus Rabbinii, aiunt enim totum populum contribuisse, et sic unaquaeque tribus obtulit quinquaginta Siclos, qui omnes conficiunt sexcentos. Ad id vero, quod dicitur fuisse aureos, et alibi argenteos, facilis est responsio; nam fuerunt sicli argentei; sed ad pondus siclorum aureorum, continebant enim idem, pondus, ut exprimunt verba; nam non asseri tur fuisse aureos siclos; sed Auri iu stissimi ponderis, et sic illud Auri non refertur ad siclos; sed ad pondus.

## EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

Cap. 1. V. 13. [Venit ergo Salomon ab excelso Gabaon in Ierusalem coram tabernaculo foedeti.] Et tamen hoc eodem cap. v. 3. manisse afferitur tabernaculum fuisse in Gabaon. Respondeo certum est tabernaculum fuisse non in Ierusalem, sed in Gabaon; de hoc enim, dubitare non possumus, sed legendus est Textus, iuxta hebraicam versionem. De cor am taberna culo. Confirmatur lectione Septuaginta Inter pretum, qui legunt: A facie tabernaculi.

Cap. 2. V. 2. [Praepositosque eorum tria milia sex. centos.] Alius diversus numerus Praepositorum assignatur 3. Reg. 5. ubi numerantur tria milia trecenti. Respondeo in libro Regum praeter missos fuisse Praepositos superiores, qui Praepo sitis inferioribus praerant; et hi trecenti erant, ac in isto lib. Paralip. supplementur.

Cap. 8. V. 2. [Civitates, quas dederat Hiram Salomoni.] Contrarium dictum est supra 3. Reg. 9. Salomonem dedisse Hiram viginti Civitates. Respondeo, illud dederat, idem est, ac reddiderat, nam ibi diximus illas Civitates ad tem pus, datas fuisse Hiram.

Cap. 14. V. 2. [Asa etc. subvertit altaria peregrini cultus, et excelsa.] Atqui 3. Regum 15. dicitur: [Non abstulit excelsa.] Quomodo haec inter se, conveniunt? Respondeo. Duplicis generis erant apud Iudaeos excelsa, nimirum, altaria, et templa in locis altioribus. Quaedam prophanis idolis erant erecta, haec omnia subvertit Asa.; alia Deo vero erant dicata, quod etiam illicitum erat; nam Ierosolymis tantum pro cultu divino templum statutum erat; haec non evertit. Unde licet prophana templa purgaverit; non tamen funditus evertit, quod causae fuit, ut postmodum Idolorum cultui restituta fuerint ab aliis successoribus.

Cap. 15. V. 17. [Cor Asa erat perfectum diebus eius.] Quod videtur falsum; nam reprehenditur a Propheta infra cap. 16. quem, in carcerem misit, insuper multos occidit iniuste; denique in infirmitate Dominum non quaesivit. Respondeo. Textus hic solum loquitur de perfectione quo ad externum cultum unius Dei: nam licet in aliis peccaverit, Idola tamen non coluit.

Ibid. V. 19. [Bellum vero non fuit usque ad trigesimum quintum annum regni Asa.] Hoc contradicit supranarratis cap. 14. ubi

dicitur Zara caesus ab Asa; ergo fuit bellum. Respondeo, hic computus annorum non sumitur ab initio regni Asa; sed ab initio regni iudaici, nimirum, a morte Salomonis, quando seiunctum fuit ab israelitico. Ita Hebraei, Torniell. Salian. Ann. 3095. Sanct. 3- reg. 13. Marian. cap. 16. v. 1. Nam hoc etiam modo intelligendus est Tetus sequentis capituli, ubi dicitur Baasa Rex Israel, ascendisse in Iudam anno 36. regni Asae; nam tunc erat annus 16. ipsius regni, ut patet ex 3. Reg. 16. ubi dicitur Baasa e vivis excessisse an. 26. regni Asae, quomodo igitur potuisset ann. 36. post mortem, nimirum, decertare? Computus ergo annorum sumendus est ab initio regni iudaici: nam ex mutatione regnorum, saepe nova surgit aera.

Cap. 21. V. 12. [Allatae sunt autem ei litterae ab Elia Propheta.] Qui tamen iam a novennio ex hominibus abreptus fuerat, quomodo igitur litteras, in quibus contra Ioram plaga continebatur, scribere potuit? Respondeo has litteras missas fuisse per Angelum, vel hominem quempiam e Paradiso terrestri: ita Hebraei, Lyran. Bell. et alii. Vel scriptae fuerunt ab ipso Elia, adhuc vivente, et futurorum praescio, ut postea statuto tempore darentur Ioramo.

Cap. 34. V. 28. [Infereris in sepulchrum tuum in, pace.] Atqui Iosias in praelio occisus fuit sagitta; ergo haec prophetia non fuit adimpleta., Respondeo. Propheta non loquitur de privata; sed de publica regni pace, ac prosperitate., quae tunc maxime vigeat, quando Iosias extra sui regni fines profectus fuerat cum exercitu obu iam Aegyptiorum Regi.,

Cap. 36. V. 9. [Octo annorum erat Iochim cum regnare coepisset.] Qui tamen 4. Reg. 24. dicitur decem, et octo annorum fuisse. Respondeo, regnaverat una cum patre decem annos; defuncto vero patre solus regnare coepit agens annum decimum octavum, et secundum hanc explanationem regnavit tribus mensibus, ac decem diebus.

#### EX LIBRO TOBIAE.

CAp. 4. V. 11. [Quoniam elcemosy na ab omni peccato, et a morte liberat.] Quomodo hoc stare potest cum eo, quod dixit Divus Paulus 1. Corinth. cap. 13. [Si diftribuero in cibos pauperum omnes facultastes meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.] Respondeo eleemosyna dispositive liberat a peccato, impetrat enim gratiam maiorem, qua peccator provehatur ad consequendam charitatem. Ita S. Thom. Alber. Scot Gab. Dut. Caiet. et alii. Potest etiameleemosyna id praestare, formaliter, si cetera adsint, nem pe Fides, Spes, Charitas, Paenitentia. Vide S. Aug. de verb. Dom. in Luc. ser. 30. Fr. V. in Hierol. Eleemosyna.

Cap. 5. V. 18. [Ego sum Azarias Ananiae magni filius. [Haec sunt verba Angeli ad Tobiam; quae proferri non possunt sine mendacii nota, unde Vuitacherus lib. 1. coutra Edmundum, Campianum asserit Angelum mentitum fuisse; sed hoc absit. Respondeo igitur. Angelus praeferens similitudinem Azariae poterat quidem dicere se esse Azariam, sicut Gen. 31. Angelus praeferens Dei similitudinem, aiebat: [Ego sum Deus,] ut concedit Caluinus magister supradicti Vuitacheri Secundo si respicimus nominis significationem, vera dicebat Augelus; nam, Azarias significat auxilium Dei, quod vere praestare venerat Tobiae; erat autem filius Ananiae, quod nomen signiscat gratiam, vel donum, Dei. Angelus enim erat gratiae filius. Unde, notat S. Gregor. hom. 34. ikn Euang. Angelos ex se nulla habere nomina; sed ea sortiri ratione, mi nisterii, quo aliquando funguntur.

Cap. 6. V. 8. [Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus daemoniorum.] Versu vero 19. non cordis; sed iecoris mentionem facit. [Ipsa autem nocte incenso iecore piscis fugabitur daemonium.,] Respondeo utraque pars tam cordis, quam iecoris habebat talem virtutem fugandi daemonium non quidem naturalem, nec supranaturalem, ut aqua benedicta; sed solum id praestabat, ut signum quoddam. Ad positionem enim illius combustionis vi angelica fugabatur daemonium, ut clare patet ex cpa. 8. [Tunc Raphae- Angelus apprehendit daemonium, et religavit illud in deserto.

Cap. 9. v. 3. [Vadas ad Gabelum in Reges civitatem Medorum.] Quomodo Tobias iunior mittebat Angelum in Reges, in qua ipsi iam, erant, ut colligitur ex cap. 3. ibi namque manebat sponsa. Respondeo. Rages est nemen, commune tam cluitati, quam

regioni, sicut Neqpolis in Italia significat tam regnum, quam civitatem. Tobias igitur. et Angelus erant in regione Rages in civitate, quae vocabatur Ecba tanis Gabelus autem habitabat in ipsa civitate Rages, ad quam mittebatur Angelus.

#### EX LIBRO IV DITH.

CAp. 8. U 1. [Judith vidua filia Merari] se quitur textus narrando eius genealogiam, quam deducit ad Simeonem filium Ruben. Sed fergit difficultas: nam Simeon non fuit filius, sed frater Ruben, ita Genes. 29. Respondeo, pro Ruben legendum esse Israe-1, ut vertit Grae cus giou= \*isIrah(1. Idem habet Arabicus nostrae Congregationis; ita etiam sentiunt S. Fulg. Epis. lib. 2. c. 14. Bellar. lib. 1. de verbo Dei cap. 12. arg. 12. errorem hic agnoscunt Serar. et Mar. nam Iudith fuit ex tribu Simeon.

#### EX LIBRO ESTHER.

CAp. 3. V. 1. [Aman de stirpe Agag.] Hic fuit Amalecitarum Rex captus a Saule 1. Reg 15. ita Ioseph. Ruper. Caiet. Lyran. At quomodo infra cap. 16. v. 10. Aman dicitur Macedo. [Aman filius Amadathi, et animo, et gente, Maccdo.] Respondeo. Maiores eius fortasse ex strage Amalecitarum profugi in Macedoniam, secesserunt; postea vero parentes Amanis iterum ante haec tempora in Persidem demigrarunt. Sed porbabilior est eum natum ex Patre Macedone, et matre Persa ex antiqua Amalecitarum origine, ita Salian.

Cap. 6. V. 3. [Nihil omnino mercedis accepit.] Sermo est de Mardocheo; contrarium habemus cap. 12. v. 5. [Praecipitque ei Rex; ut in aula, palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus.] Ergo aliquid praemii acceperat Mardocheaus. Respondeo. Munera quidem leviora, ei data fuerant, quae tamen meritis non respondebant; ideoque non erant merces, et per consequens, nec praemium, vel honor, de quibus Rex interrogabat.

#### EX LIBRO IOB.

CAp. 19. V. 17. [Et orabam filios uteri mei.] Sed quomodo poterat filios orare quando omnes perierant, ut ex cap. 1. Respondeo. Graecus legit giou/s2 pallaki/dwn kolake/uwn, idest, filios concubinarum mearum, seu secundarum uxorum. Symmachus legit, filios puerorum meorum, scilicet nepotes.

#### EX PS ALMIS.

PSalm. 17. V. 27. [Cum perverso perverteris.] Loquitur Psalmista cum Deo, de quo dicitur Malach. 3. [Ego Dominus, et non mutor] Respondeo, sensus est, quod Deus cum perverso perverse, idest, severe agit: ita Hier. Theod. favet Arabica verio quae sic legit. Cum perverso so porversus eris.

PSalm. 31. V. 3. [Quoniam tacui inveteraverunt omnia ossa mea, dum clamarem tota die] Contradicit sibi; quomodo enim tacet, si clamat tota die? Respondeo tacuit David a confessione peccati nimirum nonem mensibus; haeserat namque in peccatis a die patraii adulterii usque ad partum uxoris; clamabat tamen, idest, rugiebat, ut vertunt Chald. Aquil. et Hier. prae dolore morbi in scelerum poenam immisi; ita Aug. Hier. et alii adeo addit. [Inveteraverunt omnia ossa mea,] idest, omne robur meum elanguit.

PSalm. 25. V. 8. [Homines, et iumenta salvabis Domine.] Numquid iumenta erunt in Caelo? Respondeo. Psalmista loquitur de salute corporali. scilicet, de esca, sanitate, prole etc. ita Aug. et alii, Arabica versio legit. [Hominum, et iumentorum tu es Salvator Domine.] Allegorice nomine iumentorum intelliguntur peccatores, ita Hier. et Didym.

PSalm. 36. V. 25. [Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem.] Hoc prima fronte videtur falsum; legimus enim multos iustos fame laborasse, uti fuit Layarus mendicus, filii Iacob. Gen. 42. Abraham. Gen. 12. multiple Sancti Martzres. Respondeo. Tunc Deus pro pane corporali dabat spiritualementem, nempe, copiam solarii, et sic in ipsa inopia non derelinquuntur a Deo. Eodem modo etiam Sancti Martzres numquam derelicti fuerunt a Deo; nam quando tyrannus inedia eos tromentabnat, tunc amplum patientiae fructum, ac martyrii cornam referebant; iuxta illud psalmi 34. v. 11. [Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.] Aliqui tamen exponunt verba Davidis in sensu litterali, quia iusti, licet fame labora. runt; illis tamen non defuit Deus in necessariis: contra vero impii famem patiuntur, ut canes. Idem dicendum est de alio

textu Prou. 10. [Non affliget Dominus fame animam iusti.] Possumus etiam dicere Davidem loqui de se, ipso dicens. Non vidi, unde si aliquando id accidit, fuit aliquid rarius.

Psal. 40. V. 1. [Beatus qui intelligit. super egenum, et pauperem] cui veritati, ac optimo consilio videtur contradicere praeceptum divinum Exod. 23. v. 3. [Pauperis quoque non misereberis in iudicio.] Facilis est soluti: nam, vetat Deus iudicem declinare a iustitia ex misericordia erga pauperem: unde lectio hebraea est clarior: [Pauperem ne honorato in lite, eius;] ac si dicat, pauper litigiosus non meretur honorem, nec misericordiam. Tales sunt pisca tores benefitorum ecclesiasticorum, qui falsis documentis suscipiunt litas iniustas, et cum sint pauperes ingenio, ac virtutibus piscari in tenebris satagunt nocturnis. Istorum non solen misereri sacra Rota Romana; imo contra ipsos tamquam contra fures sententias proferre debe ret, ut a tam vili negotiatione desistant: nam, bonus Ecclesiasticus non ascendit aliunde; sed per ostium intrat in Christi ovile, idest, meritis, ac Pastoris sui legitima approbatione.

Psal. 43. V. 19. [Declinasti semitas nostras a via tua. [Hinc colligunt haeretici Deum esse causam peccati, quod tamen falsum est, ut admonet Eccl. 15. 12. [Non dicas ille me implanavit.] Respondeo, ante praedicta verba repetendam, esse particulam negatium superius positam, nimirum, Non declinasti. ita Hebr. Hier. Chrys. Geneb. Ians. Quod si velis affirmative legere, sine particula negativa, ut vertit Chald. tunc sic exponendum est. Declinasti semitas nostras, idest, actiones, et negotia nostra, Avia tua, scilicet, a solito modo agendi nobiscum; non, enim protexisti nos, sed potius permisisti omnia nobis infeliciter succedere.

psalm. 115. V. 2. [Omnis homo mendax.] Haec verba contradicunt manifeste textui Apocal. 14. v. 5. [Et in ore eorum non est inventum mendacium.] Loquitur S. Ioannes de centum quadraginta quatuor milibus Virginum. Hinc deducit Lutherus omnia opera hominis esse peccata, quia si homo non potest verum dicere, quod facilius est, ergo nec bonum facere. Respondeo sensus huius loci non est hominem actu esse mendacem, ac semper mentiri; sed pronum, ac proclivem natura sua ad mentiendum, et fallendum, quod non est peccatum; sed vitium, naturae corruptae peccato originali: ita S. Bas. Hier. et Aug. Docet Chrysostomus omnes homines esse mendaces respectu Dei, qui est summa veritas, et immutabilis. Creaturae autem sunt mendaces, idest, vanae, et mutabiles.

#### EX PROVERB.

Cap. 26. V. 4. [Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.] Statim vero sibi contradicit versu sequenti. [Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.] Quomodo haec possunt servari si sunt contraria? Respondeo. Sensus est. Ne respondeas stulto verbis, quia oleum, et operam perdes; sed verberibus corripiendo, eiusque, petulantem linguam coercedo, quod clare demonstrat ipse Sapiens versu superioribus: [Flagellum equo, et camus asino, et virga in, dorso imprudentium.] Melius tamen explicari, et concordari possunt hi duo Textus. Primus vetat responsionem iuxta stultitiam, nimirum, ne respondeas stulte, sicut ipse stultus, ne efficiaris ei similis. Secundus Textus iubet respondere iuxta stultitiam, nimirum, ut meretur eius stultitia: unde Graecus vertit; kata

#### EX ECCLESIASTE.

Cap. 1. V. 4. [Terra in aeternum stat.] Contra vero Isai. 24. [Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur.] Respondeo, terra auferetur, non quo ad substantiam; sed quo ad incolae, et aedificia, ut ait S. Hier.

Cap. 7. V. 17. [Noli esse iustus multum.] Haec Salomonis sententia, non solum continet difficultates non paucas; sed adversatur consiliis Euangelicis. [Beati, qui esuriunt, et sitiunt iustitiam. Mat. cap. 5. v. 5.] ac aliis quamplurimis locis Sacrae Scripturae. Respondeo. Non debet esse homo iustus multum, idest, in externa facie, quia verus iustus non imitatu pharisaicam iactantiam; sed caelat virtutes: ita Aug. Lyr. Caiet. Alii vero intelligunt haec verba de iustitia vindicativa; ita, ut non debeat iudex, vel superior esse nimis iustus, nimirum, rigorosus: sed errantem ovem humeris levare: ita S. Amb. Deniq. R. Aben Ezra intelligit praedicta verba de nimia, ac superslua corporis

afflictatione: quando, nimirum, indiscrete ieiuniis, vigiliis, ac mortificationibus maceramur corpus, ficut agricola, qui nimia anxietate vexat campum, ut fructus copiosos colligat; erit namque inutilis labor. Unde Plinius. [Bene colere necessarium est, optime damnosum. lib. 18. histor. nat. cap. 6.

#### EX LIBRO SAPIENTIAE.

Cap. 7. v. 2. [Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine.] Contra vero mater Machabaeorum. 2. Mach. 7. dixit. [Novem mensibus in utero portavi,] et hoc tempus videtur commune omnibus hominibus. Respondeo. Perfectissimus nascendi terminus sunt novem menses solares completi, seu decem lunares inchoati, quorum hic meminit Salomo-. Mater autem Machabaeorum loquebatur de mensibus solaribus.

#### EX ECCLESIASTICO.

Cap. 1. V. 16. [Initium sapientiae timor Domini, et cum fidelibus in unum increatus est.] Quomodo hoc stare potest cum eo, quod ait S. Paul. Ephes. 2. Omnes nos nasci filios irae. Respondeo. Hanc esse hyperbolem; loquitur enim de iis, qui a tenera aetate Deum timere incipiunt; nisi velis intelligere de natura, et indole optima, et ad pietatem proclivi, quae timor Domini vocari potest. Hoc tamen ad litteram impletum est in Beatissimae Virginis immaculata Conceptione; insuper de S. Ioannis, et Ieremiae in utero sanctificatione. Aliqui intelligunt hunc locum de praedestinatis, quibus in instanti creationis destinatur gloria.

Cap. 3. V. 16. [Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum.] Quomodo ex peccato oritur bonum, dicente Apostolo ad Rom. 6. [Stipendia peccati mors.] Respondeo peccatum marris, de quo hic est sermo, nihil aliud significat, quam iniuriam a molesta matre illatam, quam si filius patienter tolerat, restituetur est bonum.

Cap. 7. V. 15. [Non iteres verbum in oratione rua] et tamen Christus Dominus Matt. 26. [Tertio oravit, eundem sermonem dicens.] Respondeo hic prohibetur inutilis verborum reiteratio, quam etiam Christus prohibuit. Matth. 6. Possumus etiam dicere reprehendi garrulitatem in sermone familiari. Emanuel Sa assertit his verbis inculcari attentionem in oratione, ut non sit opus repetere verba semel prolata.

Cap. 13. V. 11. [Noli esse humilis in sapientia tua.] Hoc manifeste repugnat Christi consiliis multis in locis. Respondeo, Sapiens loquitur hic de animi abiectioe, quae maculam infert viro sapienti, non autem de virtute humilitatis, quam Christus commendat. Vel melius. Sapiens non debet abduci a vero, et recto, specie humilitatis, et subiectionis; sed potius libertatem spiritus pro veritate retinere debet.

Cap. 18. V. 1. [Qui vivit in aeternum creavit omnia simul.] Hoc repugnat Gen. cap. 1. ubi sex diebus dicitur Deus creasse universa. Respondeo, illud Simul, graece legitur koinh=, idest, Communiter, seu Pariter, nimirum, nulla re prorsus excepta. Vel cum Rabano per Omnia intellige omnium rerum materiam, quae primo die simul producta fuit; unde ex hoc loco male colligitur uno die Deum creasse omnia.

Cap. 40. V. 29. [Fili in tempore vitae tuae ne indigeas, melius est enim mori, quam indigere] Contrarium docuit Christus Dominus, qui Matth. 19. ait. [Si vis perfectus esse vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus.] et alibi. [Beati pauperes spiritu.] Respondeo certum est hic non reprehendi Religiosorum, virorum voluntariam mendicitatem, quae ex humilitatis, et virtutum amore libenter suscipitur, nec impedit sapientiam, estque laudabilis; sed illa reprehenditur, quae ex otio, et inertia provenit, et sapientiae acquisitioni multum obest.

Cap. 49. V. 5. [Praeter David, et Ezechiam, et Iosiam omnes peccatum commiserunt.] Quomodo excipitur David, qui gravissime peccaverat. 2. Reg. 11. item ipse Ezechias nec a peccato fuit immunis. 4. Reg. 20. Respondeo. Textus hic loquitur de peccato Idolatriae, ut ex sequentibus clare colligitur, vel sermo est de arctiori cum Idolatris amicitia, cuius criminis Iosaphat alioquin pius rex reprehenditur. 2. Par. 18.

#### EX ISAIA.

Cap. 16. V. 1. [Emitte agnum Domine dominatorem terta de Petra deserti.] Haec verba a S. Hieron. multisque alii

intelliguntur de Christo Domino, qui tamen de Nazareth, et Bethlehem venit; non vero de Petra originem duxit. Respondeo Christus Dominus originem trahit ex Ruth Mobitide avia Davidis, quae nata est in vībe Petra, quam urbem ait Strabo lib. 16. sic vocatam a rupibus; eam auxit magnopere Rex Balduinus. et Suldanus eam totius Aegypti. ac Arabiae gazophylacium constituit, ut testatur Adrichomius. Rabbini frustra conantur haec verba torquere a Christo Domino ad Ezechiam regem, ideoque legunt. [Mitte agnum dominatori terrae] eo quod Moabitae constituissent pendere annum tributum centum millum agnorum regi Israe~l.

Cap. 23. V. 16. [Et erit post septuaginat annos, visitabit Dominus Tyrum, et reducet eam.] Contra vero de eadem urbe praedixit Ezech. 26. V. 14. [Non aedificaberis ultra.] Respondeo illud Ultra significat in longum tempus; unde Hebraea legit Od, idest, Amplius, quod communiter significat tempus Iubilaei, nimirum spatium aquinquaginata annorum. S. Hier. ait Tyrum aedificatam, ac restitutam in pristinam civitatem, non tamen in regnum; nam deinceps subfuit Chaldaeis, Graecis, ac Romanis. Scholiastes ait cives omnes fuisse deletos, ac proinde urbs alia diversa exstructa fuit. Idem dicendum est de alio Textu eiusdem Prophetiae Ezechielis eodem ipso citato capite: [Requisita non reperieris ultra in sempiternum.

Cap. 45. V. 1. [Haec dicit Dominus christo meo Cyro:] sequitur scriptura promittens ei victorias, ac regna subditasque nationes, post multa vero vers. 4. queritur Deus his verbis, [et non cognovisti me.] Aliter scribitur lib. 1. Esdr. cap. 1. v. 2. [Haec dicit Cyrus rex Persarum. Omnia Regna terrae dedit mihi Dominus Deus caeli:] Ergo cognovit verum Deum Respondeo, licet cognoverit Deum, non tamen cognovit eum unicum, et solum, nam simul etiam idola colebat usque ad mortem, ita S. Hieron. et alii. Vel dicas secundum Lyran. Non cognovisti me, hoc, nimirum, tempore, quando te describebam, quia nondum natus eras.

#### EX IEREMIA.

Cap. 7. V. 22. [Quia non sum locutus cum patribus vestris, et praecepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocaustomatum, et victimarum.] Hoc videtur manifeste falsum; nam primis Levitici capitibus de nulla re agitur, praeterquam de sacrificiis et victimis. Respondeo. De talibus sacrificiis impio, ac impuro animo oblaris, quatis, quasi per illa placandus sit Deus; certe nunquam locutus est; nam absque mandatorum observatione non possunt illi placere sacrificia, unde notavit Sanctus Hieron. Deum prius dedisse populo deca logum, ac numquam in Exodo locutum fuisse de sacrificiis; postea vero in Levitico praescrip sit sacrificia, ne populus Idolis gentium more sacrificaret.

Cap. 27. V. 7. [Et seruiet ei omnes gentes, et filio eius, et filio filii eius.] Loquitur Propheta de Nabuchodonosore, cui tamen successit solum eius filius Balthassar, ergo quinam sunt hi tres reges commemorati. Respondeo hic sermo est de Nabuchodonosore seniore, qui etiam vocabatur Naboi Assar, et hic erat pater Nabuchodonosoris iunioris, qui dictus fuit Magnus. Colligitur haec responsio ex eodem Propheta, qui initio eiusdem capitis dicit se locutum fuisse haec in principio regni Ioachim filii Iosiae regis Iudae; atqui in principio regni Ioachim regnabat Nabol Assar, et quidem solus: nam anno quarto regni Ioachim socium, ac regni collegam accepit filium, ut habetur supra cap. 25. Aliter numerant hos tres reges S. Hieron. Lyran. S. Tho. Vat. dicunt enim, primum fuisse Nabuchodonosor, secundum Euilmerodach, tertium denique Balthassarem. At iuxta auctores primae sententiae idem est Euilmerodach, et Balthassar.

Cap. 29. V. 22. [Sedeciam, et Acab, quos frixit rex Babylonis in igne.] Isti duo ex Hebraeorum sententia, item Rabani, Hugonis, S. Tho. Lyran. et Saliani sunt illi senes, qui Susannae pudicitiam tentant. At senes illi, ut legitur in Dan. 13. alio supplicio, nimirum, lapidibus occisi sunt. Respondeo, suerunt quidem primo lapidibus obruti, dein igne frixi. Daniel autem solum mentionem facit de poena talionis a legibus statuta. Hanc tamen opinionem reprobant ut falsam Mald. Perer. Sanch, et alii.

Cap. 30. V. 8. [Et non dominabuntur ei amplius alieni.] et tamen constat Persarum reges dominatos fuisse Iudaeis post reductam captivitatem 2. Esd. 9. Respondeo. Haec verba ad litteram non

possunt intelligi de liberatione per Cyrum facta; sed de ea, quam dedit Dominus Iesus Christus suis; ita S. Hieron. Theod. et alii, unde miscet Propheta typum cum antitypo, et advolat a Cyro ad Christum, de quo literaliter, et non allegorice haec intelliguntur; ita Corn. a Lapide.

Cap. 36. V. 30. [Non erit ex rege Ioachim, qui sedeat super solium david:] Et tamen contraria legimus 4 Reg. 24. [Dormivit Ioachim cum patribus, suis, et regnavit ioachim filius eius pro eo.] Respondeo. Tentavit quidem filius solium ascendere regium, in quibus tribus circiter mensibus sedit, non tamen pacifice; nam abductus dein fuit in Babylonem cum tota eius aula, ideoque aestimatur, ac si non regnasset, ita Theod. Posterius autem eius non fuerunt reges, sed duces, et quidem eributarii Persarum regibus. Machabaei vero aliqui fuerunt reges, sed ex tribu levitica, non autem ex stirpe ioachim originem ducebant.

Cap. 41. v. 5. [Et muneta, et tus habebanti in manu, ut offerrent in domo Domini.] Quomodo poterant offerre in domo Domini, si templum iam succenium fuerat, ut est in 4. Reg. ult. Respondeo, Domus Domini vocatur locus iile, quem Deus elegerat, ut in eo Templum erigeretur, ac iterum restau arecur, ut aiunt a Castro, et Sanchez, et Cornel. a Lap. Colligitur ex Baruch. 1. v. 10. ubi dicuntur Iudaei misisse pecunias ex Babylone pro victimis Deo offerendis. Maldonat. tamen putat istos octoginta non venisse in Ierusalem, sed in Masphath, ubi Iudaeorum reliquiae collectae erant sub Godolia, ibique altare aliquod eius iussu excitatum fuisse-FR V. Masphath. in dict Synagoga.

Cap. 47. V. 4. [Depopulatus est enim Dominus Palaestinos, reliquias insulae Cappadociae.] Quomodo Cappadocia vocatur insula, cum sit Provincia in Craecia? insuper quomodo ex ea originem duca Palaestini? Respondeo. Cappadocia, de qua hic loquitur Propheta, est insula prope Tyrum secundum Torniel. quae deinde dicta est nova Tyrus, huic opinioni favet hebraea versio, quae legit Caphtor, nam Caph, est manus, Tor, idest Tyrus, quasi dicat manus, seu latus Tyri. Sed Theod. et a Castro vertunt non Cappadeciam, sed Cyprum. Multi denique sumunt hanc vocem pro vera Cappadocia, quae licet sit in continenti, quia tamen extenditur lonog lictore in pontum Euxinum vocatur insula. Cappadoces autem occupant Palaestinam expulsi Hevaeis, ut patet Deuteron. 2. v. 23. Ita Rab. Noster Arabicus legit: Reliquias succisorum Cappadocum, nullamque facit mentionem insulae.

Cap. 50. V. 29. [Non habitabitur ultra usque in sempiternum.] Loquitur Propheta de Babylone, quam tamen ex Dan. 6. 9. et 10. constat iterum restauratam fuisse. Respondeo. Haec Prophetia non simul; sed sensim, et successive impleta fuit. Primo per Cyrum adempta fuit illi Monarchia. Secundo a Dario moenibus spoliata teste Herodoto lib. 3. et Iustino l. 1. Tertio a Seleuco, et Nicanore civibus, et opibus exhausta; insuper teste Plinio lib. 6. cap. 26. Parthi omnia transtulerunt inde. Denique sub Adriano Imperatore teste Pausania lib. 8. nihil relictum praeter muros. Unde S. Hieron. in cap. 13. Isa. ait tempore Theodosii venationes tantum regias fuisse Babylone, eiusque murorum ambitu bestias contineri.

Cap. 51. V. 25. [Mons pestifer.] Loquitur de Babylone, quae tamen in planitie sita est. Postea v. 36. [Desertum faciam mare eius.] Et tamen nullum ibi est mare. Denique ver 41. vocatur Sesach. Respondeo. ad primam difficultatem. Vocatur Babylon mons ob fastum imperii, ita Theod. et Lyran. vel ob murorum altitudinem, ut censent Vatab. et Mald. qui muri ad ducentos cubitos attollebantur, ut asserunt Herod. Plin. Diod. Sicul. et Oros. Ad secundum dico nomine maris intelligendum esse sluvium Euphratem turgidum maris instar, ut ait Lyran. Alii vero ut Theod. et Vatab. nomine maris intelligunt hominum, ac opum abundantiam. Ad tertium denique dico vocari Sesach, idest Byssi saccum, ut ait S. Hieron. ob byssi, ac purpurae abundantiam; nisi malis cum Athenaeo lib. 14. et aliis dicere, Sisach lingua babylonica significare diem festum celebrantem. Nam eo die, quo festum Deo suo Belo celebrabatur; cecidit civitas ista ex Dan. 5. Nec praetereunda est versio nostri Textus Arabici, quorum unus legit Arischa, alius Civitas gloriosa. Haec secunda versio multum facit ad rem.

#### EX EZECHIELE.

CAp. 20 V. 25. [Ergo et ego dedi eis praecepta non bona, et iudicia, in quibus non vivunt.] Quomodo hoc verificari potest de diuinis praeceptis, de quibus habemus hoc eodem cap. v. 11. [Et dedi eis praecepta mea, et iudicia mea ostendi eis, quae faciens homo vivet in eis.] Respondeo, Deus permisit dari populo praecepta pessima, difficillima, ac molcstiffima de ritu colendi idola, nimirum Gentium praecepta, ita Hebraei, et ex iis Pradus, et hoc in poenam, eo quod spreverant praecepta divina. Ita S. Hieron. et Mal. Vel Praecepta non bona, nimirum non tam perfecta, ut in Euangelio: ita exponunt S. Ambr. et S. Cyrill.

Cap. 30. V. 14. [Faciam iudicia in Alexandria.] Atqui Alexandria tunc non erat, quae vix ducentos, et triginta post annos exstructa fuit. Respondeo. Haec Civitas per prolepsim, idest anticipationem vocatur Alexandria. Nam Hebraice dicebatur No, quae teste Nahum cap. 3. v. 8. Amplitudine non cedebat Ninivae, complectebaturque suo ambitu viginti leucas, ut ait Diod. Sicul. lib. 3. cap. 7. Graecus Textus legit \*dio/sIpolin, idest, Iovis urbem. Hanc igitur subvertit Nabucho donosor, quam postea instauravit Alexander, vocavitque suo nomine Alexandriam.

Cap. 32. v. 27. [Qui descenderunt ad infernum cum armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis.] Certum tamen est ex Psalm. 48. cum homine mortuo nihil descendere. Respondeo. Propheta his cerbis denotat istos fortes morituros inglorios, et ita cum armis, et absque ulla pompa corpora insepulta canibus discerpenda.

Cap. 39. v. 28. [Et non dereliquerim quemquam ex eis ibi.] At multa Iudaeorum milia post reductionem factam per Zorobabelem, et Cyrum, vel Machabaeos apud externas nationes remanserunt. Respondeo. Haec prophetia non potest verificari nisi de ultima reductione praestanda post mortem Antichristi, quod colligitur ex verbis sequentibus huius capituli. [Non abscondam ultra faciem meam ab eis,] nam de facto abscondit faciem ab eis a tempore Titus usque in hodiernum diem, ergo loquitur de ultima liberatione.

#### EX DANIELE.

CAp 2. V. 1. [In anno secundo Regni Nabuchodonosor vidit somnium.] Certum tamen est plures post annos somnium vidisse. Respondeo. Initium regni nunc non intelligitur, ex quo primum regnare coepit in Caldaea; sed ex quo Monarcha factus est subiugata Asia et magna ex parte Aegypto devastata, qui annus secundus Monarchiae fuit trigesimus septimus Regni, ita Cornel. a Lap. et a-lii.

Cap. 4. V. 34. [Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico regem caeli.] Haec est epistola regis, in qua Dei magnalia enumerat, et tamen vers. 5. vocat Belum Deum suum, igitur non glorificavit Deum caeli. Respondeo, quando vocat Belum Deum suum loquitur de tempore praeterito, quo Danieli puero nomen a Belo desumptum dedaerat. Unde verisimile est ipsum in paenitentia, ac animi sumbissione ufque ad mortem perseverasse, ac proinde aeternam salutem consecutum fuisse, ut docent Dorothe. in synopfi. Epiph. in vita Daniel: August. epist. 122. Theod. Lyran. Carth. Per. et alii.

Cap. 9. V. 1. [Anno primo Darii filii Assueri.] At Assuerus fuit longe posterior Dario, quomodo igitur fuit illius pater. Respondeo. Darius crat filius Astyagis Medorum regis, nomen autem Assueri erat commune regibus Medorum, sicut nomen Artaxersis erat commune Persarum regibus. Hiac Cambyzes maritus Esther, et alii reges vocantur modo Assueri, modo vero Artaxerses, prout a Medis, vel a Persis, quibus utrisque praerant compellari contigebat.

Cap. 13. V. 45. [Suscitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel.] Si Daniel erat puer, cur versu 50. infra dicunt ei senes. [Quia tibi Deus dedit honorem senecturis.] Respondeo. Daniel vere erat iuvenis, dicitur autem puer respectu istorum senum: agebat enim tunc annum vigesimum quartum. Nam haec historia contigit sub annum quartum a transmigracione in Babylonem; ut ait Corn. a Lapide. Addit denique ipsi datum fuisse a Deo senectis honorem, nimirum, dignitatem iudicandi, quae senibus proprie convenit.

#### EX AMOS.

CAp. 5. v. 25. [Nunquid hostias, et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis.] Quomodo reprehenditur populus, si

Exod. 24. et Levit. 8. 14. et 15. legimus multa obtulisse sacrificia. Respondeo. Vere post dedicationem tabernaculi in Monte Sinai Israelitae victimas non obtulerunt, eo quod non essent certi de statione, nec ad unum diem. Debebant enim semper esse parati ad iter; nam statim, ac movebatur ab Angelo columna nubis, castra etiam movebantur. Unde triginta octo annis, et undecim fere mensibus a sacrificiis abstinerunt sese. Dicuntur tamen fluxisse quadraginta anni more Scriporibus etiam sacris usitato, quo numeros, quibus parum deest, vel superest, integros, et rotundos consignant. Ita Lyran. Vatab. Corn. a Lapide.

Cap. 7. v. 14. [Non sum Propheta.] Quomodo poterat sine mendacii noa hoc asserere Amos, cui dicitur a Deo ver. 15. eiusdem capituli. [Vade Propheta ad populum.] Respondeo, Amos dicit se non esse Prophetam ex professione, vel a prima aetate, cum eius muneris fuerit armenta pascere. Unde Septuaginta legunt: Non eram Propheta.

#### EX MICHEA.

CAp. 5. v. 2. [Tu Bethlehem Ephrata.] Matthaeus vero citans istum locum ait cap. 2. 6. [Tu Bethlehem terra Iuda.] Respondeo, duplex erat Bethlehem, una in tribu Zabulon, altera in eribu Iuda, de qua loquitur Propheta, et ad disinctionem prioris addidit ei cognomen Ephrata, quae fuit secunda uxor Caleb, a qua tota illa fertilis regio nomen acceperat. Eadem est ergo Bethlehem Ephrata, et Bethlehem Iuda.

#### EX NAHUM.

CAp. 1. v. 12. [Afflixit te, et non affligante ultra.] Certum tamen est post istam promissionem Deum pluries in populum suum varias immisisse afflictiones. Respondeo, sensus illius promissionis est. Non affligante, scilicet, nisi novis sceleribus ad id me de novo coegeris. Vel Non affligam te ultra: nimirum, per Assyrios. Ita Corn. a Lapide.

#### EX ZACHARIA.

CAp. 1. v. 8. [Et ipse stabat inter myrteta.] Sermo est de Angelo, de quo ver. seq. ait: [Angelus, qui loquebatur in me.] Quomodo igitur loquebatur interius, si erat inter myrteta. Respondeo. Iste modus loquendi es hebraismus; idem enim est, ac si diceret. Loquebatur mecum, vel ad me, ut vertit Chald. et censent Theod. et Vatabl. Alii vero, inter quos Hieron. Remig. Alb. Hugo, et Lyr. putant fuisse diversos Angelos. Nam qui loquebatur interius per inspirationes, ac mentali voce erat Angelus Custos ipsius Prophetae; alius vero inter myrteta erat Archangelus Michael.

Cap. 2. v. 4. [Absque muro habitabitur Ierusalem prae multitudine hominum.] Constat tamen 2. Esd. cap. 2. Nehemiam instaurasse muros eiusdem Civitatis, quae numquam illis caruit. Respondeo, sensus est tantam hominum frequentiam eo confluram, ut murorum ambitus eos capere non possit; et sic ostendit suburbia construenda esse, ac villas vicinas erigendas, quod contigisse suo tempore testatur Ioseph lib. 6. bel. Iud. cap. 6. Unde illud Absque muro, vertunt alicui Bxtra muros, sicut illud Iosue 17. 5. [Ceciderunt funiculi Manasse decem absque terra Galaad,] idest, extra terram Galaad.

Cap. 12. v. 2. [Sed et Iuda erit in obsidione contra Ierusalem.] quomodo Iudas obsidebit Ierusalem, quae erat Metropolis, ac caput totius Iudaeae. Respondeo. Iudaei transfugae Iason, Menelaus, et alii adiuvarunt Antiochum in oppugnanda Ierosolyma, ut videre est in Historia Machabaeorum, et confirmatur testimonio Iosephi lib. 12. antiq. cap. 6.

#### EX LIBRO I. MACHAB.

CAp. 1. v. 1. [Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Graecia.] At regnum Graecorum constat longe antiquius fuisse ex Dan. 11. v. 2. Respondeo. Alexander Primus regnavit in Graecia, intelligitur nimirum in tota Graecia, ut exponit Serar. Vel dicas. Primum regnavit in Graecia, deinde in aliis regnis, quae armis accepit. Nam in Textu Graeco non dicitur Primus, sed pro/teron idest, prius.

Ibid. [Egressus de terra Cethim.] Nominis cethim intelligitur Italia. It aNum. 24. v. 2. sic legit nostra Vulgata. [Venient in triremibus de Italia.] Sed Alexander non venit ex Italia; sed e Graecia. Respondeo, iuxta S. Hier. Hebraei omnes populos mari mediterraneo a se difunctos vocabant Cethim, seu insulanos, eo quod navibus ad eos accederent. Idem sentit Ioseph lib. 1. antiq.

cap. 6. et 11. Theod. in cap. 27. Ezechielis: sicut nunc de facto Itali vocant Germanos, Gallos, Belgas, Auglos, ceterosque trans alpes habitantes uno nomine Ultramontanos, Unde hic per Cethim intelligitur Macedonia.

Cap. 4. v. 6. [Qui tegumenta, et gladios non habebant.] Sermo est de Iudaeis, qui loriceis, et gladiis dicuntur caruisse; et tamen ver. 15. legimus ipsos occidisse gladio tria milia virorum. Respondeo. Iudaei non habebant loricas, et gladios, subintelligitur sicut velebant, ut in Textu Graeco additur plhn\ kalumma/twn, kai\ maxai/men ou)k e/(tuxon kaqw/s2 u)be/ulonto. Imo in pluribus codicibus latinis, seu manuscriptis, seu editis hoc inveni. tur expressum. Sensus igitur est Iudaei quo ad arma non erant pro voto suo satis instructi, certe hostibus nulla ex parte aequandi.

Ibid. v. 52. [Centesimi quadregesimi octavi anni.] Sermo est de restauratione templi facta triennio post eius profanationem. Nam anno 145 Graecorum, profanatum fuit templum. Cur igitur 2. Machab. cap. 10. dicitur post biennium restauratum fuisse Templum. Item narratur post mortem Antiochi, quae accidit anno 149. Respondeo, ad primam difficultatem. Biennium, de quo ibi fit mentio, non sumitur ab initio profanationis Templis sed ab initio Principatus Iudae, ut clare pater. Ad secundam difficultatem dico. Restanuratio Templi narratur post mortem Antiochi; sed tamen ante eius obitum accidit, qui modus usitatus est saepe in sacris litteris.

Cap. 7. v. 9. [Sed et Alcimum impium constituit in Sacerdotem.] At iste Alcimus erat iam Sacerdos ante adventum Demetrii Regis, ut ha betur 2. Machab. 14. Respondeo, etiamsi antea constitutus fuisset Summus Sacerdos ab Antiocho post caedem Menelai; quia tamen acta Antiochi, utpote tyranni, annullata fuerant ite rum a Demetrio legitimo Rege, a quo haec dignitas conferri debebat.

Cap. 8. v. 16. [Committunt, \*scilicet Romani,) uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universae terrae.] Certum tamen est, duos consules quotannis creari solitos esse, cur igitur dicitur hic uni tantum totius imperii committi gubernationem. Respondeo. Verum est duos creari consules; sed ambo non imperabant uno, eodemque in loco. Unus enim in Urbe, alter vero in exercitu. Vel si erant in eodem loco simul tunc alternis diebus imperabant, et uni soli fasces praeferebantur teste Livio, qui ait cum ad Cannas pugnatum fuit, sor. tem Imperii ea die penes Varronem fuisse: idem confirmat Halicarn et Sigonius.

Cap. 11. v. 34. [Statuimus ergo illis omnes fines Iudaeae, et tres Civitates Lydan, et Romatham] Cur duas tantum enumerat civitates, si erant tres. Respondeo, legendum esse tres praefecturas, sen Satrapias, ut legit Iosephus; dein duas civitates separatim nominatas assignant pro Templi sacrificiis. Sensus igitur est praeter illas duas praefecturas assignasse etiam duas alias Civitates pro sacrificiis. Vide Textum Graecum.

Cap. 14. v. 25. [Cum autem audisset populus Romanus sermones istos.] Narrat dein benesicia maxima in Simonem collata, quae beneficia certum est non a Romanis; sed a Iudaeis fuisse collata. Respondeo, verum id esse, ideoque in, Textu Graeco non legitur Populus Romanus, sed w(s de\ h)/kousen o(dk\mos tw=n lo)gwn tou/twn, idest: [Cum. audisset populus sermonem isrum.] Patet autem clare ex ipso Textu ibi sermonem esse de populo iudaico, qui auditisiis, quae Simon, fecerat apud Romanos pro populo, gratis ei agunt. Igitur de populo iudaico intelligenda sunt, quae sequuntur.

Cap. 16. v. 3. [Estote loco meo, et fratres mei et egressi pugnate pro gente nostra.] Loquitur Si. mon cum duobus filiis suis; sed cur eos vocat fratres. Respondeo ex Textu Graeco aliter legendum est \*(ant)e)mou=, kai\ tou= a)delfou= ma. nimirum: [Loco meo et fratris mei.

## EX LIBRO II. MACHAB.

Cap. 1. v. 9. [Et nunc frequentate dies scenopegiae mensis Casleu.] Dies scenopegiae celebrandi rant mense septimo Tisri, ut praecipitur Exod. 23. et 24. ac Levit. 23. non autem mense nono Casleu. Respondeo. Isti. dies festi, qui hic indicuntur, non sunt illi septimi mensis; sed dies Encaeniorum, quando a Iuda Machabaeo repurgatum fuit Templum, quam dedicationem

festive peragerunt dies octo integros ad modum festivitatis tabernaculotum.

Ibid. v. 14. [Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus.] Seimo est de coniugali habitatione cum Dea Nanea, ut colligitur ex vocabulo graeco slunoikh/swn, idest cohabitaturus. Et ex dotis mentione, quae ibi exprimitur. Deubium igitur est quomodo vivus cum mortua, mortalis cum immortalis coniungendus eslet. Respondeo, solitos fuisse veteres Reges cum Deabus matrimonia inire, ut Heliogabali Urania docet, seu Venus apud Xiphilinum; et nostris temporibus nota omnibus est sollemnis desponsario, quam cum Thetide quotannis faciunt Veneti in die Ascensionis Domini. Habemus insuper exemplum desponsationis Antonii cum Minerva, teste Seneca in Suasor. Sic etiam hic Antiochus, ut honesto praetextu templum expoliaret, chesauros dotis nomine surripere studivit; at templi Sacerdotes cautiores fuere, ut ipse exitus comprobavit.

Cap. 3. v. 4. [Simon de tribus Beviamin praepositus Templi.] Quomodo poterat esse Templipraepositus, sierat de tribus Benjamin; non autem de tribu Levitica. Respondeo, iste Simon erat praepositus in rebus prophanis, non autem facris. Forsan enim praerant thesauris, vel militari custodiae, sic etiam eius frater Menclaus iniuste summum Pontificatum affectaverat.

Cap. v. 27. [Iudas autem Machabaeus, qui decimus fuerat.] Et tamen cap. 14. dicitur Iudas praefuisse omnibus Assidaeis, cur igitur dicitur decimus. Respondeo, erat decimus, nimirum, unus ex decem viris Assidaeorum, inter quos postea etiam generalis dux fuit.

Cap. 8. v. 32. [Constituunt itaque fratres suos duces utriusque oridni Simonem, et Iosephum.] Nullus tamen ex fratribus Iudae vocabatur Iosephus. Respondeo. Iosephus idem erat, ac Ioannes; ita Serarius explicat.

## EX EVANGEL. S. MATTHAEI.

Cap. i. Statim in ipso exordio occurrit dissi cultas illa celebris, cur Matthaes Christi genealogiam a David usque ad Ioseph deducat per Salomonem. Lucas vero per Nathan, ergo alii parentes tribuuntur Iosepho a S. Luca; alii a S. Matthaes. Hunc locum olim obiecit Iulia. nus Augustus. Sanct. Hieronymus vero enodavit dicens; a S. Luca recenseri parentes Iosephi secundum legem: a S. Matthaes autem secundum naturam. Nam Deus praeeperat, quod si frater absque liberis e vita discessisset, alius frater eius uxorem acciperet ad suscitandum fratris semen. Hanc difficultatem nuper Christianis obiecit Ahmed Persa in suo libro inscripto Politor speculi, contra quem Apologiam crudite, ut assolet, scripsit P. Philippus Guadagnela, Clericus Regularis Minor linguae Arabicae professor egregius, ac in nostra Congregatione meus collega, qui cap. 7. sect. 1. notat S. Matthaes uti verbo Genuit ad significandam naturalem generationem, Lucam vero non uti tali verbo, sed dicere: [Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, etc.] Arabicus legit [Ioseph filii Heli, filii Mathat, etc.] Ad maiorem huius difficultatis elucidationem Christi genealogiam ex Scripturis, et Sanctis Patribus praesertim Damasceno depromptam in sequenti arbore describi curavimus.

[Gap desc: illustration]

Ibidem v. 5. [Salmon autem genuit Booz de Rahab.] Quomodo potuit Salmon generare filios ex rahab meretrice Iericuntina, si ipse non est ingressus terram promissionis; nullus enim ex iis, qui ab Aegypto discesserunt, in terram promissionis pedem intulit praeter Iosue. et Caleb. Haec obiectio est eiusdem Ahmedis. Respondeo, licer Salmon fuerit ex iis viris, qui ex Aegypto discesserant, nihilominus non fuit comprehensus Dei maledicto. Nam nondum atrigerat vigesimum annum. Colligitur ex capite 14. v. 29. Num. [In solitudine hac iacebunt cadavera vestra Omnes, qui numerati estis a viginti aunis, et supra, et murmuratis contra me.

Ibid. v. 8. [Ioram genuit Oziam.] Qui tamen fuit abnepos, non vero filius Ioram. Nam 4. Reg. 8. Ioram genuit Ochoziam. Hic genuit Ioas, ut ex cap. 12. Ioas genuit Amasiam; ita cap. 14. Hic denique genuit Oziam, sen Azariam. Cur ergo S. Fuangelista reliquit illos tres intermedios. Respondeo, quia noluit excedere tesseradecadem personarum. Ita S. Hicon. Cur vero hos potius praetermisit, quam alios, ratio in promptu est, quia hi tres geniti

erant ex Athalia filia impiissimi Achabi, et Iczabelis, quorum stirpem delendam praedixerat Deus. 3. Reg. 21. v. 21. [Et interficiam de Achab mingentem ad patietem.] Unde S. Euang. saltem usque ad quartam generationem illorum memoriam abolitam noluit. Posteritas enim intelligitur usque ad quartam generationem. Ita Hilar. S. Thomas, Ians. Barrad. et Abul.

Ibid. v. 11. [Iosias autem genuit Iechoniam, et fratres eius in transmigracione Babylonis.] At 4. Reg. 23. dicitur Iosias genuisse Ioachim, et capite 24. Ioachim genuisse Iechoniam, seu Ioachim. Secunda etiam insurgit difficultas, quod haec generatio accidit multis annis ante trans. migrationem. Respondeo. Ad primam diffi cultatem, quam velut inextricabilem obiebat Porphyrius Christianis, et fico Scriptorum vitio, et incuria contigisse, ut nomen Ioachim semel tantum exprimeretur propter nominis similitudinem, unde supplenda est una generatio, ut nonnulli codices Graeci, et Latini habent; alioquin non esset completa decimaqurta generatio. Duo igitur fuerunt Reges pater, et filius nomine Ioachim, et cognomina Ieconiae. Prior Ioachim est filius Ioriae in quo desinit secunda tescradecas. Posterior fuit nepos Ioriae, et filius Ioachim, a qui incipit tertia. Ad Secundam difficultatem. Respondeo, illud In transmigracione, idem esse ac sub tempus transmigracionis, quae coepit anno tertio Regni Ioachim.

Cap. 8. v. 5. [Accessit ad eum Centurio.] At S. Lucas cap. 7. v. 3. ait. [Misit ad eum seniores.] v. 6. [Misit amicos.] Respondeo. Primo accessit per seniores, dein per amicos, denique per se ipsum, cum Christus vicinior esset; ita Chrysos. Theoph. Euthym.

Ibidem. v. 28. [Occurrerunt ei duo, daemonia habentes.] At S. Lucas cap. 8. v. 27. et S. Marcus cap. 5. v. 2. unum tantum recensent. Respondeo. Unius tantum meminerunt, quia famosior, et truculentior erat, in quo integra legio hospitabatur, ita Aug. lib. 2. de consensu Euang. cap. 24. et alii.

Cap. 10. v. 10. [Neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.] Marcus vero cap. 6. ait Christum permisisse Apostolis virgam tantum, et sandalia, imo ipsemet Christus habuit plures tunicas, ita Ioan. 19. Respondeo. Christus prohibuit duas tunicas, nimirum, vestimenta mutatoria, ut nuc unum, nunc alterum induant, ut ait S. Thom. alioquin frigoris, aut necessitatis causa pluribus tunicis indui minie vetar. Insuper calceamenta, non vero sandalia prohibuit, nam calceamenta superne etiam pedes tegunt, ita S. Hieron. Aug. Tost. Tolet. Ians. et Maldon. Denique prohibuit virgam defensoriam, quae hebraice dicitur Matte, et per consequens omnia genera armorum; concedit tamen baculum viatorum hebraice Miscian, ut expressit S. Marcus.

Cap. 16. V. 20. [Praecepit ut nemini dicerent, quia ipse est Christus.] Et camen ipse Christus prae cepit eisdem Apostolis praedicare regnum Dei. Respondeo. Christus prohibuit solum eo tempore, et loco, quia Apostoli nondum erant idonei ad persuadendum id omnibus, ut ait Chrysolst. Theoph. et Euthym.

Cap. 17. v. 1. [Post dies sex.] Sermo est de tem. pore transfigurationis Christi Domini. At S. Lucas cap. 9. ait. [Factum est autem post haec verba fere dies octo.] Respondeo. Post evolutos sex dies plenos transfiguratus est Christus, quod accidit sexta Augusti, die dominico, S. Lucas vero numerat omnes dies etiam imper, fectos; nam octava die post illa verba transfiguratus est, ideo addit illud fere, ita Chrysost. Euth. Theoph. et Aug.

Ibidem. v. 11. [Elias quidem venturus est, et restituet omnia.] statim vero subiungit contrarium dicens. [Dico autem vobis, quia Elias iam venit, et non cognoverunteum.] Respondeo in primo loco Christus loquitur de Elia, qui venturus est ante extremum iudicium una cum Henoch, et restituet omnes reliquos Iudaeos, idest, convertet; nam Arabicus legit: [Docebit vos omnia.] Deinde [transit Christus ab Elia litterali, et vero ad mysticum Eliam non nomine; sed re, nimirum, ad Ioannem Baptistam, qui ante Christi adventum praecursor fuerat.

Cap. 19. v. 9. [Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur:] ex hoc aliqui colligunt praecipue Graecilicium esse ob fornicationem uxorem dimittere, et aliam ducere. Contrarium asseritur apud Luc. cap. 16. Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit moechatur, idem apud Mar. cap. 10. qui absolute dicunt non licere uxorem dimittere, ac aliam ducere. Respondeo, igitur duas

quaestiones Pharisei proposuerant Christo Domino. Prima utrum liceret uxorem dimittere. Secunda an liceret aliam ducere. Christus vero respondit licitum esse uxorem dimittere ob fornicationem tantum, et separari coniuges quo ad torum; nam qui innocentem dimittit, moechus etiam reputatur, quamvis aliam non duxerit quia violat ius matrimonii, et uxoris. Conclusio igitur est. Qui dimittit uxorem ob fornicationem non moechatur; si vero aliam duxerit certe moechatur. Ut si quis dicat. Qui ieiunium violat sine dispensatione, et se inebriat peccat, ergo qui violat ieiunium cum dispensatione se inebriando non peccat, falsa est ista sequela, ita Corn. a Lap. et est sensus Theoph. et Aug. Unde Christi propositio sonat. Quicumque dimiserit uxorem suam absque fornicationis causa, moechatur. quicumque etiam aliam duxerit, moechatur.

Cap. 27. v. 9. [Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam.] Loquitur Euangelista de agri emptione pro sepultura peregrinorum ex Christi pretio. Maxima tamen est difficultas apud Scriptores super haec verba; nam haec prophetia nullo pacto invenitur apud Ieremiam, sed potius apud Zachariam cap. 11. v. 12. [Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.] Respondeo. Hunc errorem ex incuria librariorum irrepsisse testantur Hieron. Ruper. Lyran. Ians. Francisc. Lucas. Baron. Mald. Suar. imo nonnulli codices habent nomen Zachariae, ut ait S. August. quorum unum egomet legi arabice scriptum, et eo utebamur in nostra Congregatione apud Eminentiss. Cardinalem Pallottam, apud quem alius etiam extabat chaldaice scriptus, qui nullius Propheate nomen continebat, sed solum dicebat. [quod dictum est per Prophetam,] et haec mihi videtur veri similior explicatio: nam S. Matthaes non solet exprimere nomina Prophetarum in suo Euan gelio. Sed hic praetereundum non est, quod mihi nuper ostendit d. Abraham Ecchelensis Maron. in Romano Sapientiae Archigymasio Chald. ac Arabicae linguae publicus professor, et meus in praecognoscendis Arabicis Bibliis diligentissimus collega. Apud hunc virum inter complures libros arabicos manuscriptos quidam singularis existit inscriptus, Liber margaritarum pretiosarum, estque de operibus Domini. Auctor huius libri ait odio, ac ma litia Iudaeorum istam Prophetiam erasam fuisse, unde cap. 7. loquens de Christi passione, Ieremiae verba citat, quae ex arabico in latinum conversa talia sunt.

Sectio ex Prpbtia Ieremiae Prophetae.

Tum dixit Ieremias ad Phesciur. Iam diu cum patribus vestris estis contrarii veritati; silli au em, vestri, qui venient posi vos perpetrabunt peccatum magis enorme, quam vos, quoniam appretiabunt illum, qui non habet pretium, et pati facient, qui sanaet morbos, et dimittit peccata; Et accipient trigima argenteos pretium illius, quem emerunt filii Israel, etc.

#### EX EVANGEL. S. MARCI.

CAp. 1. V. 2. [Sicut scriptum est in Isaia Propheta. Ecce ego mitto Angelum meum,] ista verba inveniuntur apud Malachiam cap. 3. cur ergo citatur Isaia? Respondeo. Verum est ista verba esse Malachiae, at S. Euangelista non citat Isaiam pro eis, sed pro sequentibus, nimirum, [Vox clamantis in deserto,] unde iuxta veterum Ecclesiasticorum sententiam Marcus ex duobus testimoniis Prophetarum unum effecit sub nomine Esaiae, ita Hieron. qui addit secundam solutionem, nimirum, vitio scriptorum Esaiae nomen irrepsisse. Graecus legit, w(s2 ge/graptai e)n toi=s2 profh=tais2. [Sicut scriptum est in Prophetis,] nullius nomen exprimendo.

Cap. 15. V. 25. [Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.] S. Ioannes vero ait cap. 19. [Erat hora quasi sexta,] et nec erat adhuc damnatus. Respondeo, erat hora tertia finiens, ac desinen sin sextam, nam idem Marcus v. 33. affirmat Christum Dominum crucifixum hora sexta, quando tenebrae factae sunt super universam terram, ita communiter Interpretes, vel dicemus Marcum locutum esse de damnatione ad crucem, quando iuxta Augustinum linguis Iudaeorum clamantium erucifige, crucifige Christus cruci affixus est. Hieronymus putat scriptorem deceptum similitudine characterum numeralium, quibus Graeci Codices utuntur pro s2 quod senarium indicat, apposuisse \*g gamma, quod ternarii signum est.

Cap. 16. V. 8. [Et nemini quidquam dixerunt.] Et tamen certum est has mulieres nuntiasse Christi resurrectionem omnibus

discipulis. Respondeo. Nemini quidem per viam dixerunt prae timore, ut ait Euthym

#### **EX EVANGEL. S. LUCAE.**

CAp. 3. V. 2. [Principibus Sacerdotum Anna, et Caipha.] Constat tamen ex Ioan. 18. solum Caipham fuisse tunc temporis Pontificem. Respondeo. Non erant simul Pontifices; nam solus Caiphaz eo munere fungebatur; sed ambo erant principes inter sacerdotales familias. Annas enim fuerat immediate ante Caipham Pontifex per septennium, et summae auctoritatis erat apud omnes. Sed adhuc remanet difficultas, quomodo vivente Pontifice Anna, creatus fuerit Caiphaz. Sciendum igitur est apud Hebraeos solum fuisse septem dies ante Kepur, idest, diem expiationis separare Pontificem, illumque instruere caeremoniis, quibus ingredi debebat Sancta Sanctorum; sed quia liquando contingebat Pontificem eo tempore pollui, ac reddi immundum, ideo eligebant alium Pontificem, quem vocabant Pontificem anni, ne praetermitteretur illa sollemnitas, qui affistebat in eadem functione, et si ipse offerebat illud sacrificium propter aliquam immunditiam Pontificis, remanebat toto eo anno in gradu pontificali. Colligitur hoc ex textu evangelico, in quo Caiphaz appellatur Pontifex; sed cum additamento, nempe anni illius, ita 10. 11. v. 49. et 18. v. 13. Annas igitur erat verus Pontifex, ut clarissime patet ex Actis Apostolorum cap. 4. v. 6. [Annas Princeps Sacerdotum, Caiphaz, et Ioannes etc.] ubi sermo est de concilio congregato contra Apostolos, quod certe accidit post Christi resurrectionem; ergo Annas restitutus in pristina dignitate; remanebat tamen Caiphaz in secundo loco, in tertio autem sacerdos caput hebdomadae; nam hi duo semper comitabantur summum sacerdotem in functionibus sacris, unus quidem a dextris, nempe, Pontifex anni, alius a sinistris, scilicet, caput hebdomadae. Colligitur tota haec doctrina ex Hebraeorum caeremoniali, ut mihi testatus est Ioannes Baptista Ionas in Romano Sapientiae Archigymasio hebraicae linguae professor olim inter Rabbinos Archisynagogus celeberrimus.

Ibid. v. 36. [Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.] S. Euangelista enumerat Christi genealogiam sursum ascendendo, ita ut Arphaxad sit pater Cainan, et hic pater Sale. At Gen. 10. v. 24 dicitur. [Arphaxad genuit Sale.] Nulla facta mentione de Caman. Hanc obiectionem Christianis proponit Ahmed Persa probans Euangeliorum dissonantiam. Respondeo. Mos usitatus est apud sacram scripturam appellare etiam progenitores parentes mediatos, quia non est ipse intentum singulorum genealogiam numerare. Animadvertendum insuper est Textum Arabicum, et Graecum numerare etiam in Genesi Cainan; igitur mirum non est, si S. Lucas, qui graece scripsit non prae termittat generationem Cainan secutus Textum Graecum.

Cap. 18. v. 1. [Oportet semper orare, et non deficere.] Durum videtur hoc praeceptum. Legimus enim apud Matth. 26. Christum Dominum post orationem concessisse saepius Apostolis requiem. Respondeo. Sensus est non debere perseveranter orare, et non deficere metu, vel tentatione, aut toedio. Itaque illud semper non significat temporis continuationem, ut vo lebant haeretici Euchitae, sed constantiam, et perseverantiam, ut explicat Salmeron tom. 7. tract. 31. Eodem modo explicandus est alter Textus Eccl. 18. [Non impediarius orare semper.] Item alter similiter Pauli ad Thesalon. cap. 5. [Sine intermissione orate:] sicut etiam communiter dicere solemus: Iste iuvenis semper studet, idest sedule, et frequenter.

Ibid. v. 35 [Cum appropinquaret Iericho, caecus quidam sedebat secus viam.] Marcus vero cap. 10. ver. 46. ait. [Proficiscente eo de Iericho.] Idem affirmat Matth. cap. 20. qui insuper addit duos fuisse caecos. Respondeo igitur ad secundam difficultatem. S. Marcus, et S. Lucas unum tantum nominant caecum principaliorem, et magis notum apud cives illos, quem Sanctus Marcus vocat Bartimaeum, eratque mendicus. Duos tamen re vera illumina. tos fuisse caecos a Christo asserit S. August. lib. 2. de Cons. Euang. cap. 65. Ad primam difficultatem, nimirum, de diversitate historiae Lucae ab aliorum duorum narratione S. August. existimat diversum esse caecum, de quo agit Sanctus Lucas; nam hic in ingressu Christi ad urbem illuminatus est, quam sententiam amplectitur etiam Iansenius. Verum cum omnes circumstantiae, quas narrat Sanctus Lucas consentiant cum iis, quas habent S. Matt et S. Mar. dicendum est omnino unum, eundemque fuisse caecum, qui prius ingrediente Christo

Domino petierit ab illo illuminari, verum cum ob turbam multitudinem non audiretur, et ipsemet Christus dissimularet, ut eius fidem acueret, stetit postmodum ad portam urbis, ibique Christo egrediente rursus visum postulans gratiam impestravit, ita sentiunt S. Ambr. in Luc. cap. 18. Dion. Carth. Mald. Fran. Lucas, et alii.

#### **EX EVANGEL. S. IOANNIS.**

CAp. 1. V. 28. [In Bethania trans Iordanem.] At cap. 11. ait Bethaniam fuisse iuxta Ierosolimam cis Iordanem. Respondeo, ista Bethania, de qua hic agitur non est illa Marthae, et Mariae, sed alia trans Iordanem sita; unde aliqua exemplaria graeca legunt \*bhqabara=, idest, Bithabara, quod vocabulum hebraicum significat domum transitus, imo communiter graeca lectio est Bithabara. Insuper haec Bethania scribitur per Aleph, et significat domum navis, altera scribitur per Ain, et significat domum humilitatis.

Ibid. v. 31. [Ego nesciebam eum.] Quomodo sine mendacii nota poterat hoc dicere Ioannes qui prae gaudio in utero exsultaverat ad aspectum Christi Domini? Respondeo, Ioannes non noverat Christum de facie, seu naturali modo; sed divinitus, quam notionem noluit manifestare, ne videretur cognationi, familiaritati, vel affectui aliquid indulgere.

Cap. 2. V. 20. [Quadragesima, et sex annis aedificatum est templum hoc.] Quod non potest verificari de Salomone, qui in aedificatione templi septem annos cum dimidio impendit. 3. Reg. 6. Neque de restauratione facta per Zorobabelem, qui neque tam plures impendit. annos, licet Chrys. Beda, Theoph. Euth. Eucher. Ians. Tolet. Mald. existiment hic loqui de hac secunda restauratione facta per Zorobabelem anno primo Cyri regis usque ad annum sextum Darii, quod spatium putant fuisse quadragesima sex annorum: sed hic computus errorem continet. Nam Templum instaurari coepit anno primo Monarchiae Cyri; unde quindecim anni solum fluxerunt, ut probat Cornel. a Lap. in hunc locum; de qua ergo aedificatione loquitur Textus? Respondeo. Loquitur de ultima restauratione facta ob Herode Ascalonita, qui ut nomen Messiae sibi vindicaret, templum construere coepit anno Iuliano 27. quod complevit anno 15. Tiberii, nimirum Iuliano 73. unde quadragesima, et sex annis aedificatum fuit, et completum anno primo praedicationis Christi. De hac templi restauratione agunt Iosephus lib. 15. antiq. c. 14. et lib. 20. c. 8. Signoius in notis ad Suppl. Constan. Phrygio in Chron. Ger. Merca. et Func. in Chron.

Cap. 3. v. 22. [Et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.] At cap. 4. v. 2. contrarium ait. [Quamquam Iesus non baptizaret; sed discipuli eius.] Respondeo. Christus baptizabat non tam per se, quam per discipulos suos, quos tamen ipse prius baptizavit, ut ostenderet baptismum suum etiam ab aliis conferendum; at Ioannis baptismus ab ipso solum conferebatur.

Cap. 4. V. 13. [Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.] Quod videtur contradicere Textui Icl. 24. v. 29. [Qui biberint me adhuc sitient.] Respondeo, Sitient non ex defectu quasi aqua careant, qualis sitis invenitur in aqua mundana, non vero in illa, quam promittit Christus; sed sitient ex desiderio magis augendi aquam, quam habent, sicut quo magis gustamus rem delicatam, eo magis augeri nobis optamus.

Cap. 5. v. 31. [Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.] Paulo post cap. 8. V. 14. contrarium omnino asserit Christus dicens- [Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum.] Respondeo. In primo Textu sensus est, si solus ego perhiberem testimonium de me utique non esset verum, idest, dignum side, vestro quidem iudicio; loquitur enim Christus ex concessione magie, ac communi Iudaeorum sensu. In secundo vero sensu dicit testimonium ipsius verum esse, quia solus non erat, sed cum eo Pater, qui illum miserat, ita Cyrill. Chrysost. Leont. Theoph. Euth et alii.

Ibid. V. 34. [Ego autem non ab homine testimonium accipio,] et tamen Ioannes testimonium perhibuit de Christo: item Moyses, et Prophetae. Respondeo. Christus Dominus testimonium hominis non accipit, idest, nec indiget hominis testimonio. Non tamen illud reicit etiam in controversiis fidei, ut somniant haeretici; sed solum asserit sui causa non indigere tali testimonio, cum sit Deus. Nostri vero causa quoties tale

testimonium necessarium fuerit, illud probat, et admittit. Imo, ut Deus, non solum non indiget hominum testimonio, sed omnes Prophetae, et ipse Ioannes ab eo auctoritatem acceperunt. Ita Cyrill. Theoph. Leont. Mald. Ians. et alii.

Cap. 7. V. 16. [Mea doctrina non est mea.] Si mea quomodo non mea? Respondeo, mea doctrina, idest, quam vobis trado, non est excogitata ex me, ut puro homine; sed a Patre meo caelesti illam accepi, imo ut Deus illam mihi communicavit, ita Chrysost. Leont. Euthym.

Cap. 8. V. 15. [Ego non iudico quemquam.] Cap. vero 5. dixerat [Pater omne iudicium dedit filio.] Respondeo. Christus non iudicat secundum carnem, idest, sensus externos, de quo iudicio ibi loquitur. Vel possumus dicere Christus non iudicat quemquam, idest, non condemnat; non enim venit perdere, sed salvare.

Ibid. V. 19. [Neque me scitis.] Supra vero c. 7. v. 28. dixerat [Et me scitis.] Quomodo haec inter se conveniunt? Respondeo. [Neque me scitis:] quoad divinitatem, et reddit rationem. [Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.] Graecus magis ad rem nostram legit, h/(deite a)/n, scilicet, [Sciretis utique. Nam correlativorum eadem est scientia. Ita Theoph. et Iansen.

Cap. 9. V. 29 [Nunc autem nescimus unde sit.] Et tamen eadem turba dixerat supra c. 7. v. 27. [Nunc scimus unde sit.] Respondeo. Nesciunt unde sit, nimirum, a quo, vel cuius auctoritate missus sit, alioquin de patria, et parentibus satis sibi constare supra cap. 7. asseruerant.

Cap. 10. V. 22. [Facta sunt encaenia, et hiems erat. At dedicatio Templi facta per Salomonem fuit] in aequinoctio autumnalil. 3. Reg. 8. Scundat etiam facta per Zorobabel fuit in vere paulo ante Pascha. 1. Esd. 6. igitur quomodo encaenia celebrantur hiberno tempore, Respondeo, de nulla istarum dedicationum loquitur Textus; sed solum de illa facta a Iuda Machabaeo, qui prophanatum ab Antiocho Templum, et Alta. re triennio post expurgavit, iterumque dedicavit mense Casleu, idest, Decembri, iusque quotannis idem festum celebrari per octiduum. 1. Machab. 4. Ita Cornel. a Lapid. in hunc locum.

Cap. 12. V. 44. [Qui credit in me non credit in etc.] Haec videntur manifeste contradictoria. Respondeo, sensus est, qui eredit in Christum, sicut oportet credere, non solum credit in eum: sed etiam in illum, qui eum misit, ut subiungit, tamquam unigenitum, et consubstantialem filium, favet Textus Arabicus: [Qui credit in me, non credit in me solum; sed et in eum, qui misit me.

Cap. 13. v. 27. [Quod facis, fac citius.] Sunt verba Christi Domini ad Iudam proditorem, Deustamen nemini mandat impie agere, ut dicitur Eccl. 15. Respondeo. Christus non praecipit, nec suader Iudae, sed potestatem concedit exsequendi scelus, nimirum, non contradicit, nec impedit, licet facillime posset. Non praecipit ait August. sed praedicat. Sunt etiam verba exprobandis secundum Chrysost.

Ibid. V. 34. [Mandecum novum do vobis, ut diligatis invicem.] Cur vocatur novum, si fuit ab initio mundi; imo est lex naturalis. Respondeo, est novum quia non solum proximos, sed etiam inimicos diligere mandat, ideo addidit. Sicut dilexi vos. Et inter vos etiam Iudam. Novum igitur mandatum, quia novo modo est expositum, et in praxim redactum, ita Chrysost. ho. 71. August. tract. 65.

Cap. 18. v. 20. [In occulto locutus sum nihil.] Contrarium asseritur Matth 10. [Quod dico vobis in tenebris, et in aure.] Ergo locutus fuerat in occulto Respondeo. Christus nihil locutus fuerat in occulto, nimirum, nihil dixerat, quod in publicum proferri vetuerit, imo potius iussit praeedicari super tecta.

Ibid. v. 31. [Nobis non licet occidere quemquam.] Et tamen occiderunt S. Stephanum; insuper praecipitarunt S. Iacobum. Respondeo. Romani ademerant illis ius inferendae necis, relicta solum potestate cognoscendi, et iudicandi crimina ad legem pertinentia ita Chrysost. Stephanum vero tumultuario, et subito furore

occiderunt, quod facinus dissimularunt Romani; imo Iosephus lib 20. Antiq. cap. 8. alias 16. asserit Annanum Pontificatu priutum fuisse, eo quod Iacobum iussisset occidi. Velinon

licebat forsitan eis occidere in festo Paschae propter tanti festi celebritatem. ut explicant August. Cyrill. Suar.

Cap. 19. V. 14. [Erat autem Parasceve Paschae.] Imo erat ipsum festum Paschae. Nam die antecedente ad vesperam comederant Agnum Paschalem. Matth. 26. Respondeo, erat Parasceve, idest, dies preparationis rerum necessariorum ad sequens sabbatum. Unde S. Mar. cap. 15. vocat illum diem voce graeca prosabbaton, idest Antesabbatum, additur vox illa Paschae, quia dies hic parasceves incidebat in primum diem azymorum, seu paschalium, ut probat Baron. sed praetereundum hic non est ex Rabbiorum traditionibus numquam celebrari a Iudaeis Pascha in diebus lunae, mercurii, vel veneris, ut dixi in Hierolex. dict Pentecostes, Igitur eo anno, quo passus est Iesus, celebrabant Pascha in die sabbati, et per consequens comederunt agnum ad vesperam diei veneris, quod comprobatur illis Euangelistae verbis. [Et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur: sed ut manducarent Pascha Ioan. 18. v. 28.] At Christus Dominus relictis Rabbiorum traditionibus comedit agnum feria V. quando incidebat decimaquarta dies lunae primi mensis; igitur secundum Iudaeos feria sexta erat Parasceve Paschae eo anno. Confirmatur haec opinio ex Hebraeorum Thalmud, in quo asseritur Christum Iesum passum ante diem Paschae.

Ibid. V. 29. [Spongiam hysopo circumponentes.] Aliter Mar. 15. [Calamo circumponentes] item Mart. 27. [Spongiam arudini.] Respondeo. Spongiam quidem arudini; sed ramulis hysopi quasi funiculis circumposuerunt, ne spongia dilaberetur, et ut acetum virtute hysopi condiretur. Ita Aug. et alii antiquiores. Multi vero putant calamum fuisse ex hysopo. Calamus enim significat surculum cuiusvis herbae, imo Dodoneus lib. 4. de stirpibus cap. 19. ait hysopum erigere caules altiores. duros, et lignofos. Hanc sententiam tenent Euthym. Chrys. Lyran. S. Thom. Titel. Dion. Carth. Barrad.

#### EX ACTIS APOSTOLORUM.

CAp. 1. V. 18. [Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis.] Loquitur de Iuda proditore, qui suspensus crepuit medius; quomodo igitur possedit agrum emptum post eius mortem. Respondeo, est figura catachresis, quae quod meo aere emptum est, meum esse censetur, et etiam mortuus dicor illud possidere per fuccessores meos. Vel possedit pretium agri, nimitum, pecuniam.

Cap. 2. V. 1. [Cum complerentur dies Pentecostes.] Est traditio ecclesiastica diem Pentecostes incidisse in diem dominicum, ita Ecclesia universalis, et Sancti Patres unanimiter tenent. At computus dierum quinquaginta non concordat. Respondeo, ex legis praescripto Leu. 23. Dies Pentecostes numerandi erant a sequenti die post Pascha azymorum, in qua sollemnitate manipulus spicarum Deo offerendus erat; eo vero anno sequens dies erat sabbatum, quo die vetitum erat mittere falcem in meffem: eo ergo anno manipulus oblatum fuit die dominico, quo die Christus resurrexerat; et sic ab hac die usque ad Pentecostes festum numerantur dies quinquaginta. Sed iam superius probavi Pascha azymorum celebratum fuisse die Sabbati eo anno a Iudaeis.

Ibid. V. 38. [Baptizetur unusquisque vestrum in, nomine Iesu Christi] Utrum haec Baptismi forma sit valida, dicente Christo Matt. ult. [Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.] Respondeo, sensus illorum verborum In nomine Iesu Christi - idem est, ac in fide Iesu Christi, seu in virtute. Addebant autem in forma Baptismi alias duas personas Sanctissimae Trinitatis necessario exprimentas. Unde ante Baptismum instruebantur fideles de mysterio Sanctissimae Trinitatis, ut docent Suar. Coninck, et alii Scholastici. Crediderim tamen primis illis temporibus in forma baptismi ad conciliandam maiorem reverentiam exprimi solere nomen Iesu Christi hoc modo. Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii eius Iesu Christi, et Spiritus Sancti.

Cap. 7. v. 2. [Apparuit parti nostro Abrahae, cum esset in Mesopotamia.] Constat contrarium Gen. 11. v. 31. ubi Abraham dicitur eductus de Ur Chaldaeorum. Respondeo, hic Mesopotamiae nomine intelligitur omnis regio trans Euphratem, prout opponitur terrae Chanaan, cuius limites extenduntur usque ad Euphratem. In Mesopotamia ergo includitur Chaldaea.

Ibid. V. 5. [Et non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis.] sermo est de terra Chanaan, in qua legitur Abraham possedisse speluncam duplicem. Gen. 23. v. 9. Respondeo. Illam speluncam non dedit illi Deus: sed emit pretio argenti. Ita Aug. q. 56. in Gen. Nec poterat vocari hereditas locus in sepulchrum destinatus, et non in culturam ait Glossa.

Ibid. v. 16. [Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filii Sichem.] Haec narratio S. Stephani contradicit veritati; imo quamplurimas involuit difficultates: primo Abraham emit ab Ephron filio Seor. Gen. 23. v. 16. Secundo, locus vocabatur Hebron, in quo sepulti sunt omnes Patriarchae excepto Ioseph, ut habetur Iosue cap. ult. Nec potest verificari de emptione Iacob a filiis Hemor. Gen. 33. v. 19. nam Iacob non emit sepulchrum; sed agrum ad construendum altare. Tertio quia Hemor

non fuit filius; sed pater Sichem. Quarto denique quia non emit Iacob pretio argenti; sed centum agnis. Fateor hanc esse maximam, ac unicam difficultatem indissolubilem in novo testamento, cui varias expositiones tradunt Interpretet: sed nulla satisfacit plene. Unde inter cot solutiones facilior mihi videtur illa, quam assignant S. Greg. lib. 7 epist. 55. Lyran. et alii. Loquitur igitur S. Stephanus, de emptione ab Abrahamo facta. Dicendum itaque Seoruis binomium iuxta morem Hebraeorum, vocatumque esse etiam Hemor, qui multos habuit filios, quorum primogenitus vocabatur Ephro-, hic nomine ceterorum fratrum vendidit. Hemor autem fuit filius Sichem antiquioris. Confirmatur, quia non solum Abraham, Isaac, et Iacob; sed alii etiam Patriarchae sepulti sunt in Hebron, licet prius translati fuissent in Sichem, ut notavit Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 4. Nec contradicit Hieronym. in Epitaph. Paulae, dum ait duodecim Patriarcharum sepulchra. adhuc sua aetate ostendi solita in Sichem, quae hodie vocatur Neapolis. Loquitur enim de tumulis asservatis religiose a posteris; non autem de cadaveribus translatis.

Cap. 9. V. 7. [Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, adientes quidem vocem, neminem autem videntes.] Huic narrationi contradicit ipsemet Apostolus Paulus, qui infra asserit socios non audivisse vocem Christi: ita enim ait cap. 22. V. 9. [Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt.] Respondeo. Socii audierunt vocem Pauli, non autem Christi; ideo subiungit. [Vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum] ita S. Aug. in Psal. 67. Lyr. Hug. Chrysost. Vat. Facilior est solutio S. Eucherii, qui docet socios audivisse vocem, scilicet, sonum inconditum; non tamen expressam verborum significationem, et sic non intellexerunt, nec audierunt verba articulata; sed sonum vocis. Denique non audierunt, scilicet, non oboedierunt, sicut Paulus.

Cap. 12. V. 17. [Nuntiate Iacobo, et fratribus haec.] Quomodo poterat nuntiare Iacobo iam mortuo, ut patet ex eodem cap. v. 2. [Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.] Respondeo, Petrus mandat nuntiare haec Iacobo Alphaei Ierosolymorum Episcopo, non autem Iacobo Zebedaei iam vita functo.

Cap. 25. v. 13. [Agrippa Rex, et Bernice descenderunt Caesaream] Atqui Agrippa iam pridem consumptus erat vermibus, et percussus ab Angelo exspiraverat, ut vidimus supra cap. 12. Respondeo, hic, de quo loquitur Textus, est Agrippa iunior filius Agrippae senioris, frater Drusillae, nec erat Rex Iudaeae, sed Chalcidis, et Trachonitidis.

Cap. 27. V. 12. [Devenientes Phoenicem, hiemare portum Cretae.] Sed Phoenicia est provincia Syriae. Item eodem cap. V. 13. [Et cum sustulisset de Asson legebant Cretam.] Sed Asson est Ciu itas Macedoniae. ita Actor. 20. Respondeo ad primum Phoenix est urbs, et portus Cretae insulae, et distinguitur ab alia, quae est regio. Ad secundum eodem modo Respondeo. Asson namque est portus eiusdem insulae, ita Baron.

Ibid. V. 33. [Quartadecima die, hodie exspectantes ieiuni permanentis nihil accipientes.] Quomodo hoc fieri poterat naturaliter: nam homo alioquin sanus ultra septem dies naturaliter absque cibo vivere non potest, ut docet Hippocrates, et alii medici. Respondeo illud, Nihil accipientes, intellegitur per modum iustae refectionis, ita Hugo, Corn. a Lap. et plerique alii, qui volunt vectores carptim subinde quaedam delibasse ad vitam

sustentandam. Chrysost. tamen hoc tribuit miraculo, cui aliqui consentiunt.

Cap. 28. V. 1. [Barba ri vero praestabant non modicam humanitatem nobis] Contradicit sibi iste textus: nam quomodo vocantur barbari Melitenses, si humaniter se gesserunt erga Apostolum, ac ceteros naufragos? Respondeo, quod viris doctis, ac linguarum peritis nulla, consurgit difficultas ex supracitatis verbis inam Barbarus non significat inhumanum, ut vulgo nunc sonat, sed agrestem, et rusticum; est enim, vox Syriaca Ba Bar, idest, filius deserti, vel habitator deserti, et quia tales homines solent esse inurbani, ideo haec vox tractu temporis denotare coepit inhumanos. Confirmatur haec expositio ex textu aethiopico, qui legit Agrestes, ut mihi ostendit Romae Abba Gregorius Sacerdos Aethiops de nostra fide catholica optimemertus, ac linguae Aethiopum litteralsi peritissimus. Igitur homines rustici, ac per agros vagantes primi sese obtulerunt Paulo, ac sociis a mari in littus eiectis, eosque humaniter exceperunt; deinde fama vulgata accesserunt cives ac ipse Publius Princeps Insulae, ut narrat Textus.

### EX EPISTOLA S. PAULI AD ROM.

CAp. 1. V. 3. [Qui factus est ei ex semine Da vid secundum carnem.] Contrarium vide tur docere Apostolus 2. Cor. cap. 5. v. 16. [Et si cognovimus secundum carnem Christum; sed nunc iam non novimus.] Ex hac apparenti contradictione colligit Faustus epistolas Pauli vitiatas. Respondeo neutrum ab alter odissonare: nam in epistola ad Corinthios loquitur de immortalitate post resurrectionem futuram, in qua negat carnem fore corruptibilem, sicut de facto Christus nunc non habet carnem passibilem, et corruptibilem, ergo nomine carnis intelligit corruptionem.

Ibid. V. 17. [Iustus ex fide vivit.] Contra vero Iacobi 2. dicitur. [Ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum.] Respondeo. Iustus ex fide vivit, quia, scilicet, non ex caeremoniis legalibus, ut Iudaei, nec ex solis virtutibus moralibus, ut Gentiles, sed ex fide, non quidem sola, quae mortua est, sed etiam coniuncta cum bonis operibus, ceterisque virtutibus: implicat enim animam vivere per aliquod mortuum. Vel sensus est. Iustus ex fide vivit, quia, scilicet, fides est radix vitae spiritualis, non tamen excluduntur aliae virtutes, sicut cum dicimus, homo ex corde vivit, nimirum, cor est initium vitae, non ideo excluduntur aliae partes, cerebrum, iecur etc. per quas partes homo vivit, ita Cor. a Lap. Augustinus in praef psalm. 31. Paulum, et Iacobum concilat, quia Paulus docuit Abraham iustificatum fuisse ex fide, tamquam ex radice, et fundamento. Iacobus vero asseruit eundem iustificatum ex operibus, tamquam ex fructu.

Cap. 2. 13. [Factores legis iustificabuntur.] Contrarius est textus infra c. 3. [Ex operibus legis non iustificatur omnis caro.] Respondeo. Factores legis iustificantur, quia gratis accepta iustificatione proficiunt in operibus legis, et merentur; quae tamen merita proveniunt tamquam ex radice ab illa prima iustificatione, et sic iustificantur non accusati tamquam legis transgressores coram Deo. Primam vero iustificationem, qua remittuntur peccata non merentur ex operibus iustitiae, et legis; sed a Christo gratis haec nobis datur.

Cap. 4. V. 20. [In repromissione etiam Dei non haesitavit diffidentia.] Loquitur de Abraham, qui tamen videtur dubitasse; nam Gen. 17. dicitur. [Risit Abraham dicens in corde suo: Putasne contennario nascetur filius?] Respondeo. Ista verba Abrahami non ex incredulitate; sed ex admiratione proveniebant.

Cap. 14. U 23. [Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.] Si hoc esset verum, sequeretur Melitenses v. g. peccasse humaniter se gerentes erga S. Paulum eiusque socios, nam actio illa non erat ex fide. Respondeo. Apostolus hic non agit de fide christiana, seu supernaturali; sed de fide naturali, quae nil aliud est, quam dictamen rationis, et conscientiae, quo quis sibi videtur recte agere, ita Chrys. Oecum. Amb. et Theoph. Colligitur ex voce graeca pi)sas2, qua fides solet appellari, et idem est ac persuasio. Igitur quicumque non agit secundum rationis dictamen, peccat. Sunt aliae explicatriones, sed non ad mentem Apostoli.

### EX PRIMA AD CORINTHIOS.

CAp. 10. V. 8. [Ceciderunt una die viginti tria milia] Loquitur Apostolus de fornicariis cum filiabus Moab secundum Chrysost.

Ans. et Caiet. et tamen de his dicitur Num. 25. [Occisi sunt viginti quatuor milia.] Respondeo. Numerus iste minor a s. Paulo commemoratus empraehenditur in illo maiore. Potest etiam dici S. Paulum locutum fuisse de vituli cultoribus, et idolatris, ut vult Com. a Lap. et sic numerus concordat.

#### **EX SECUNDA AD CORINTHIOS.**

Cap. 1. V. 8. [Quoniam suprasedum gravati sumus supra virtutem.] Et tamen idem Paulus 1. Cor. 10. dixerat. [Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.] Respondeo. Illud supra virtutem significat supra vires naturae, et corporis; sed non supra animi, et gratiae vires; nam invicto animo tribulationem hanc Dinus Paulus pertulit.

Cap. 2. V. 5. [Si quis autem contristavit, non me contristavit.] Cur ergo tantam animi angustiam ostenderit supra. v. 4. Respondeo. Non me contristavit, scilicet, non me solum, sed ex parte; nam multos alios contristavit mecum; imo totam Ecclesiam, cuius ego membrum sum, et pars.

Cap. 5. 21. [Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.] Loquitur de Christo, qui tamen secundum Esaiaem cap. 53. [Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.] Respondeo Paulum nomine peccati intellexisse oblationem, pro peccatis, in quo sensu dixit Oseas capl. 4. Comedent peccata populi, idest oblationes, quae pro peccatis offeruntur. Vide Aug. de verb. Apost. serm. 6.

#### **AD GALATAS.**

Cap. 2. v. 7. [Credidit est mihi Euangelium praepitii, sicut, et Petro circumcisionis.] Atqui Petrus praedicavit Gentibus, et Paulus Iudaeis, ut constat ex Act Apost. Respondeo. Apostoli partiti sunt inter se non auctoritatem, sed operas; nam, eo quod Paulus Iudaeis exosus esset, Gentibus praedicavit. Petrus vero Iudaeis carus ipsis praedicabat praecipue. Ceterum poterant ambo praedicare tam Gentibus, quam Iudaeis, et de facto praedicarunt.

Cap. 4. v. 25. [Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quae nunc est Ierusalem.] Mons Sina longo intervallo; imo toto caelo distat a civitate Ierusalem, quomodo est igitur illi coniunctus. Respondeo, est coniunctus, idest, affinis, seu potius similis, graeca enim lectio vertit su soixoi=, idest habet affinitatem, seu similitudinem · Mons namque Sina similis est, in conditione cum Ierusalem; sicut enim ibi tradita fuit lex mere caeremonialis, carnalis, et seruilis; ita etiam in Ierusalem. Insuper utrobique generantur filii non liberi; sed serui, ita Theoph. Vatab. et Cor. a Lap. qui multis rationibus prosequitur in hac similitudinis probatione.

#### **AD PHILIPPENSES.**

Cap. 2. v. 7. [In similitudinem hominum factus.] Ergo non fuit vere homo, cum tamen clare asserat S. Ioan. cap. I. [Verbum caro factum est.] Respondeo, factus est in similitudinem hominum non accidentaliter, ut somniabat Faustus; sed substantialiter sicut omnes homines dicuntur similes in specie, seu naruta humana, ita S. Aug. S. Thom et alii.

#### **AD COLOSSENSES.**

Cap. 1. v. 15. [Primogenitus omnis creaturae.] Ergo Christus, ut filius Dei, est creatura, ut volebant Arriani. Respondeo Primogenitus, idest, genitus ab aeterno ante omnes creaturas, ita Ambr. Theod. Theoph. non enim dicitur, prwto/ktis2on, idest, primo creatum, sed prwto/tokon, idest, primogenitum.

Ibid. v. 24. [Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi.] Quid namque deesse potest Christi passionibus, cum ipsemet dicat Luc. 23. [Ea, quae sunt de me, finem habent.] Et Ioan. 17. [Opus consumavi.] Et clarius David Psal. 129. [Copiosa apud eum redemptio.] Respondeo, licet passio Christi fuerit copiosissima, et sussiciens satis superque toti mundo; nihilominus, ut illius valor singulis Christi membris actu ap plicaretur, multa adhuc facienda, et sufferenda supersunt, ut demonstrat S. Thom Nam oportuit Apostolos peregrinari, docere, multosque pati labores, ut Gentibus Christi passio appli. caretur, ita Chrysost. Amb. Theod. Oecum. Ans. et Aug.

#### **EX PRIMA AD TIMOTHEUM.**

Cap. 2 v. 12. [Docere autem mulieri non permitto.] Alio vero in loco ad Pitum cap. 2. ait. [Anus bene docentes.] Respondeo.

Prohibet mulieres docere publice in Ecclesia, privatim vero permittit, ut puellas doceant; imo suadet.

#### **AD HEBEAEOS.**

Cap. 1. v. 1. [Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.] Adversatur haec propositio ei, quam pronuntiauit David Psalm 61. [Semel loquutus est Deus.] Respondet. S. Augustinus. Hominibus saepe loquutum fuisse Deum, multisque modis manifestans Christi adventum per Prophetas: apud se, vero Deus semel loquutus est, quia unicum, Verbum genuit ab aeterno.

Cap. 7. Hic locus, ubi S. Paulus pronuntiat legem infirmam, et inutilem fuisse, videtur pugnare, cum eo, quo scribit ad Philippenses cap. 3. [Secundum iustitiam, quae in lege est, sine reprehensione conversatus sum.] Si in lege est iustitia, quomodo erit infirma, et inutilis. Respondeo. Iustitia in lege reperitur, quia cum quis operatur, quae in lege scripta sunt, acceptus est hominibus, et legis poenam devitat. Christi au tem iustitia est, qua homo fide per dilectionem operante, iustificatur, et Deo gratus redditur. Hanc autem iustitiam non est consequutus Paulus in lege, neque a lege, sed ex fide in Christum.

Cap. 9. v. 7. [In secundo autem semel in anno solus Pontifex.] Lequitur Apostolus de secundo tabernaculo, in quo solus summus sacerdos intrabat. Huic adversatur locus Exodi 30. in quo Deus iussit, ut Aron bis in die adoleret incen. sum mane, et ad vesperam. Respondet Theophylactus. Aron semel in anno intrabat cum sanguine; bis vero in die cum incenso. Paulus evim non asserit simpliciter, quod semel introibat; sed semel cum sanguine, idest cum immolatione victimae.

Ibid. v. 27. [Statutum est omnibus hominibus semel mori] Contrarium docuit ad Thessal. 4. [Deinde nos, qui vivimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera] Respondeo. Eorum, qui residui erunt in novissimo die, quorum nomine loquitur Paulus, mors erit tam momentanea, ut soporem se passuros existiment, qc propterea sese tamquam vivos obviam Domino dabunt, non percipientes tam subitam, et brevem mortem.

#### **EX PRIMA S. IOANNIS.**

Cap. 4. v. 18. [Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem.] Ista conclusio contradicit multis locis Sacrae Scripturae, praesertim Psal. 2. v. 11. [Servite Domino in timore.] Resp. Sancti, ac perfecti viri, qui vere Deum diligunt super omnia, timent valde esse sine Deo, et huiusmodi timor est sanctus, ac permanet in sanctis. Alius timor est de amissione vitae, vel bonorum, hunc excludit perfecta charitas, ita Eucher.

#### **EX APOCALYPSI.**

Cap. 2. v. 18. [Et Angelo Thyathirae Ecclesiae scribe.] Sed in Tyathira, quae sita est ad sinistram partem Cayci fluminis in Mysia, nulla tempore Ioannis fuit Ecclesia Christianorum. Quo argumento aliqui haeretici negarunt Apocalypsim fuisse a Ioanne scriptam. Resp iuxta Epiphaniae doctrinam Ioannem spiritu prophetico scripsisse ad futuram ibi Ecclesiam, quae decepta a Phrygastarum pseudopphetissis Priscilla, Maximilla, et Quintilla erratura erat, quas sub nomine Iezabelis designavit.

Cap. 5. v. 5. [Vicit Leo de tribu Iuda.] Et postea statim vers. seq. vocatur agnus. Respondeo. Vere Christus apparuit Ioanni in specie agni, non autem Leonis. Vocatur tamen Leo per metaphoram ob eius eximiam forritudinem, maiestatem, ac dignitatem regiam, et quia, ortus erat ex tribu Iuda, cuius insigne erat Leo.

Ibid. v. 12. [Dignus est agnus, qui occisus est accipere divinitatem.] Si ab aeterno erat Deus quomodo ergo accipere poterat dininitatem? Respondeo. Sensus est, ut omnes creaturae agnoscant Christi divinitatem, quam cognitionem transferant a falsis Idolis, ad Christum, cui vere competit. Unde accipere divinitatem, idem est, ac cognosci ab omnibus, ut Deus, ita S. Thom. Lyran. Perer. Suar. et alii.

Cap. 11. v. 2. [Civitatem Sanctam conculcabunt mensibus quadraginta duobus;] nimirum, tribus annis cum dimidio durabit Antichristi mo. narchia, quod etiam confirmatur ex cap 7. Danielis. Sed versu sequenti dicitur Elias cum, socio praedicaturus diebus mille ducentis sexaginta, qui minime conficiunt annos tres cum dimidio - Respondeo, inenses illos

esse lunares, qui constant diebus triginta, et sic numerus hic dierum conficiet menses qua draginta duos. Vel si contendis illos menses esse solares, tunc dicendum erit Antichristum superstitem futurum adhuc dies decem, et octo post mortem duorum Prophetarum, et per consequens regnabit annos tres cum dimidio.

Cap. 20. v. 11. [Fugit terra, et caelum, et locus non est inventus eis.] Quomodo fugit, si Eccles. 1. dicitur: [Terra autem in aeternum stat?] Respondeo. Non fugit terra, nec caelum; sed tantum facies pristina terrae, et caeli, eo quod statum mutabunt, ac pulchriorem formam acquirent. Unde status, et locus pristinus non est inventus; sed alius longe pulchrior. Ita Amb. Beda, Aretas, Viegas. et Cor. a Lap.

FINIS.

ROMAE, Apud Angelum Bernabo, Sacrae Regiae Christianissimae Maiestatis Typographum. M. DC. LXXVII.

SUPERIORUM PERMISSV.